

DE IGNEIS
MEDICINAE
PRAESIDIIS
Libriduo,

IOANNIS COSTAEI LAVDENSIS,
Primarij apud BONONIENSES
medicinæ professoris.

CVM PRIVILEGIIS.




VENETIIS,

Apud Rubertum Meiettum. M. D. XCV.

DE I G N E I S
M E D I C I N A E
P R A E S I D I I S
Libri duo.

IOANNIS COSTAE LAVDENSIS
Primitij apud BONONIENSES
medicinis professoris.

CVM PRIVILEGIIS.



V E N E T I I S.

Apud Ruberum Mactum. M. D. XGV.

INDEX CAPITVM PRIMILIBRI DE IGNEIS MEDICINAE praesidijs.

Qui est de ipsorum generatim speciatimque natura
atque vtendi ratione.



- | | | |
|---|--|-------------|
| Caloris vires ex
veteribus. Cap. 1. | ferentia. Cap. 11. | pag. 10 |
| De calore veterum
doctrina expendi-
tur. Cap. 2. pag. 2 | Vrentium remediorum vis genera-
tim in corpus & partem cui ad-
mouentur. Cap. 12. | pag. 13. |
| Excusatio veterum. Caloris vires
communes & propriae. Cap. 3. | Cur ustione, non autem sectione cu-
tis aperiatur ad prauorum succo-
rum eductionem. Cap. 13. | pag. 14. |
| Ordo inter effectus caloris. Cap. 4. | Cuius concoctionis excrementa per
exustum locum euacuentur. Cap. | 14 pag. 15. |
| Attrahentium gradus varij, & ma-
teria generatim. Cap. 5. | Quae ad rectum igneorum praesidio-
rum usum sint obseruanda. Ca. 15. | pag. 16. |
| Attrahentium in cutem usus duplex.
Attrahentia ad retinendum. Dro-
pax. Cap. 6. | Quibus affectibus ustio usu ueniat
generatim. Cap. 16. | pag. 17 |
| Attrahentia ad dissipandum. Cap. 7. | Quos affectus aegrae partis ustio cura
re possit. Cap. 17. | pag. 17 |
| Inflammantium natura & materia.
Cap. 8. | Quomodo aegrae partis gratia san-
curantur. De retrocessu. Galeni lo-
cus expenditur. Cap. 18. | pag. 18 |
| Cathereticorum natura & materia.
Cap. 9. | An ustio frigida solum intemperie:
An recenti morbo conueniat. Ca. | 19. |
| Septicorum natura & materia.
Cap. 10. | Obseruanda in corpore, in quo animus
est uti praesidijs exurentibus. | pag. 20 |
| Caustiorum natura, materia, & dif- | * 2 | Cap. 20. |

- Capit. 20. pag. 21 De cathetericis, septicis, causticis.
An exurentium, quæ cuti admouetur, calor in cor usque diffundi possit. An febricitantibus cōueniant.
- Cap. 21. pag. 23 *Quomodo igneorum prasidiōrū species singula recte in usum ducantur, ac primum de picatione ac dropace. Cap. 22. pag. 29.*
- De sinapismis & lenibus, & qui uescicas excitant. Quibus in affectibus et partibus ijs usi sint ueteres. pag. 29.
- Cap. 23. pag. 31 *Spektanda in vsu sinapismi. Parandi eius ratio. Cap. 24. pag. 33.*
- Diligentia adhibenda dum admouetur sinapismus, & post eius admotionem. Cap. 25. pag. 34.
- An sinapi aceto maceratum imbecillio rem uim habeat quam maceratum aqua. Quæ cantbaridū partes in sinapismo sumendę. Ca. 26. pag. 36.*
- De causticorum, quæ actu urunt, delictus. Hippocratici præcepti ratio inquiritur. Cap. 28. pag. 39.
- De Cauterum ferreorum varietate & usu. Cap. 29. pag. 43.
- De causticis potestate. de eorum varietate atque usu. Ca. 30. pag. 45.
- Aliqua ante uestionem per Cauteriū, & dum uritur obseruanda. Cap. 31. pag. 47.
- Crusta, quæ ab uestione relinquitur, detrahendę modi uarij, & eorum ratio. Cap. 32. pag. 49.
- Crusta detracta quid faciendum. Cap. 33. pag. 50.
- Quandiu ulcus igne excitatum trahendum sit. Cap. 34. pag. 51.



INDEX CAPITVM SECVNDI LIBRI DE IGNEIS MEDICINAE praesidijs.

Qui est de illorum vsu in priuatis & affectibus & locis.

I gneorum remedio rum usus in ex ternis capitis af fectibus. Cap. 1. pag. 53	pitulo 15. pag. 85 Fluxionis in oculos & lacrimarum curatio. cap. 16. pag. 86 Palpebrae inferioris quum attolli non potest. curatio. cap. 17. pag. 87 Palpebrae superioris paralysis cura- tio. cap. 18. pag. 88 Palpebrarum crassitudinis curatio. cap. 19. pag. 89 Pilorum in palpebris inuersionis cu- ratio. cap. 20. pag. 89 Aegilopis curatio. cap. 21. pag. 90 Aurium affectuum, & primum oc- clusi earum meatus, & surditatis curatio. cap. 22. pag. 92 Auricularum perforatarum doloris curatio. cap. 23. pag. 93 Aurium interioris doloris curatio. cap. 24. pag. 93 Narium polypi & ozenae curatio. cap. 25. pag. 94 Fissurarum in labijs curatio. ca. 26. pag. 96 Oris ulcerum curatio. c. 27. pag. 97 Vuae corrupta curatio. c. 28. pa. 97 Dentium dolentium, & nutantium; nes
Capitis doloris in- teriorum partium per ignea praes- sidia curatio. Cap. 2. pag. 54	
Fluxionis usus in capitis dolore per consensum. Dubitationum duarum solutio. Cap. 3. pag. 63	
Epilepsiae & uertiginis curatio. Cap. 4. pag. 66	
Apoplexiae curatio. Cap. 5. pag. 71	
Melancholiae curatio. Cap. 6. pag. 72	
Amoricae curatio. Cap. 7. p. 74	
Lethargi curatio. Cap. 8. pag. 75	
Paralysis curatio. Cap. 9. pag. 77	
Stuporis curatio. Cap. 10. pag. 78	
Tremoris curatio. cap. 11. pag. 79	
Distortio oris curatio. cap. 12. pa. 79	
Distillationis curatio. ca. 13. pag. 82	
Oculorum affectuum per ignea praes- sidia curatio. et primum suffusio- nis curatio. ca. 14. pag. 83	
Oculorum obscuritatis curatio. ca-	

nec non & gingivarum corrupta rum curatio. c. 29. pag. 98	Herniæ inguinis curatio. c. 51. p. 127
Strumarum curatio. c. 30 pag. 99	Herniæ omenti atque intestini cura- tio. cap. 52. pag. 128
Ramicis gutturis curatio. cap. 31. pag. 100	Herniæ aquosæ curatio. c. 53. p. 129
Tetani curatio. cap. 32. pag. 100	Herniæ uaricosæ curatio. cap. 54. pag. 132.
Ceruicis ac capitis partiumque alia- rum inferiorum doloris curatio. cap. 33. pag. 101	Phymatum, cancri, phagedæna, car- bunculi, quæ circa glandem ad- nascuntur, curatio. c. 55. p. 133.
Thoracis uitiorum, ac primo ulcerū in mammis curatio. c. 34. p. 104	Thymi, ficus, prolapsus, & ulcerum circa sedem, curatio. c. 56. p. 134
Carnium circa costas contusarum curatio. ca. 35. pag. 106	Hæmorrhoidum curatio. cap. 57. pag. 134
Asthmatis & Tussis curatio. c. 36. pag. 106	Condylomatum, quæ circa sedem, cu- ratio. cap. 58. pag. 137
Thoracis suppurati curatio. ca. 37. pag. 108	Fistulæ circa sedem, curatio, cap. 59. pag. 138.
Suppurati iecoris curatio. cap. 38. pag. 113	Ischiadis curatio. cap. 60. pag. 138.
Humori laxati curatio. c. 39. p. 113	Genuum doloris curatio. cap. 61. pag. 144
Doloris Dorsi curatio. c. 40. p. 115	Varicum curatio. cap. 62. pag. 144
Gibbositatis curatio. ca. 41. p. 116	Elephantiasis curatio. c. 63. p. 145
Ventriculi rheumatismi curatio. cap. 42. pag. 116	Leucæ curatio. cap. 64. pag. 146
Hepatis doloris ac tumoris curatio. cap. 43. pag. 118	Intemperiei frigidæ atque humidæ, & abditæ curatio. ca. 65. p. 147
Lienis tumoris curatio. c. 44. p. 119	Tumorum malignorum curatio. ca- pit. 66. pag. 147
Hydropis curatio. ca. 45. pag. 120.	Tumorum, qui non maligni sunt, cu- ratio. cap. 67 pag. 149
Tumoris crurum & pedum ex hy- drope curatio. ca. 46. pag. 123	Clauorum & uerrucarum curatio. cap. 68. pag. 149
Renum doloris curatio. c. 47. p. 124	Ulcerum curatio. cap. 69. pag. 150
Vesicæ paralysis curatio. cap. 48. pag. 124.	Pterygij curatio. cap. 70. pag. 150
Vteri intemperiei frigidæ atque hu- midæ curatio. c. 49. pag. 124	Ossis abscessus curatio. c. 71. p. 151.
Umbilici prominentiæ curatio. cap. 50. pag. 125	Sanguinis effusionis curatio. cap. 72. pag. 151

IOANNIS COSTAEI
IN LIBROS
DE IGNEIS MEDICINAE PRAESIDIIS.

P R A E F A T I O.



V in rebus alijs; ita in medicis praesidijs potestatis efficacissima est ignis, & quicquid ignem refert, ut non immerito sapientissimus medicina parens, quae medicamenta non curant, ferro; quae ferrum non curat, curari igne; aut insanabilia esse pronunciarit. Et ^{7. Aphor.} _{85.} fuit quidem veteribus igneorum remediorum usus frequentior, at de his tamen, an illorum aliquis ex proposito scripserit, utendique rationem tradiderit, non constat. Ex posterioribus Avicennas primus fortasse omnium breui compendio rem de cauterio perstrinxit. Hoc ipsum Albucasis quibus in morbis, qua parte, & quomodo adhibendum sit, priuatim docuit. Ex latinis quoque, cum superioris, tum nostrae aetatis non pauci hac ipsa de re non indignam commendatione operam praestiterunt. At reliquere illi tamen aliqua, vel obscura, vel controuersa, vel etiam mutila: quae declarare componere, atque absolvere quum studiorum meorum gratia aggressus essem, eò diuino auxilio perducta res est, ut igneorum praesidiorum natura atque in usum ducendi ratione generatim speciatimque libro uno explicata; mox & altero priorum posteriorumque authorum in illorum usu pro singulis, & affectibus, & locis diligentia demonstrata, quae ita collegissem, ad ueteris medicina illustrationem non nihil posse proficere, facile sim persuasus. Quae quidem licet mihi conscripta, quum, si alieno commodo non inuideam, alijs quoque communicare meum esse munus intelligerem, propterea que euulgare in animo haberem; distulit consilium

lium meum aliud ex alio negotium in hanc usq; diem, qua di-
fertissima doctissimorum aetatis nostrae uirorum disputatio-
nes prodire. quibus haec ipsa res, tam splendide, proponitur,
tam abunde, atque accurate explicatur, facile ut admoneri ip-
se possem, neque lucubrationes meas medicinae reipublicae ullius
deinceps fructus fore, si in his, quae alij satis commode absolue-
rint, frustra repetantur. neque, quum multa in horum reme-
diorum usu controuersa sint, si mea haec in lucem exire patiar,
euitari posse suspicionem, unam magis partem fouendi quam
alteram, id quod non bene instituti hominis esse uidetur, ultrò
se in alienas controuersas quasi inferentis. Quid facerem?
Illud tandem statui. Primum quidem id esse in medicina per-
petuum, idem argumentum alio atq; alio modo tractari ut pos-
sit, non sine fructu. nam, quae alij fortè praeterire, utile esse, si
ducantur in memoriam, quae fusius alij, placere alijs si breuius
afferantur, & uaria ingenia eadem in re, uaria non sine fan-
ore aliquo commentari. id quod disciplinis omnibus in aetate
omni magnum semper peperit incrementum. Sed etiam quam-
uis in oppositis sententijs alteram sequi partem plane necesse
sit: ubi quis tamen, re ipsa tantum, & rationum uis adfirmata,
quid ipse censeat, ingenue proferat; nihil esse, cur merito uni
magis quam alteri assentari censeatur. Sunt etiam qui com-
mentaria illa postrema edidere, uiri, ut doctrina, ita modestia
& iudicio insignes, qui institutum meum procul omni conten-
tionis studio esse, facile sint cognituri. Demus igitur, ut fruam-
tur studio si laborum nostrorum fructu: & quomodo neque ti-
midius, neque audacius, ad igneorum praesidiarum usum de-
scendere aliquando oporteat, ex ueterum, quas hic collegi-
mus, obseruationibus, intelligant.



D E I G N E I S
M E D I C I N A E
P R A E S I D I I S,

Liber Primus.

*Qui est de illorum generatim speciatimque
natura, atque utendi ratione.*

CALORIS VIRES EX VETERIBVS.

C A P. I.



Em igitur aggrediamur, Quum ignis sit
excellus caloris, quæ caloris sint vires, an
te omnia statuendum. Et huius quidem
perscrutationis à primis philosophiæ ac
medicinæ parentibus sunt iacta funda-
menta, sed non vno loco, neque prorsum
apertè. vt propterea non sit, nos vt quis-
piam accuset, si paulo latius nunc vagemur, quam requirere
medicum negocium videatur. Itaque caloris munus, in libro
de principijs ait Hippocrates esse vt diffundat; in multo autè
tempore exsiccet. Aristoteles in libris de ortu atque interitu cali- *Lib. 2. cap. 1.*
dum scribit congregare, *ὁμογενεί,* quæ similis sunt generis. Ad *4. meteor.*
dit autem in libro de affectionibus mistorum, termino coarce- *cap. 4.*
re, coagmentare, & transmutare quæ similis, & non similis sunt
generis, madefacere, siccare, durum facere, mollire. Et in de ge-
neratione animalium, frigus quidem durum facere, & densare, ca- *Cap. 3. lib. 5.*
lidum

A lidum

2 De Igneis medicinę præsidijis.

Tex. 5. lib. 2. lidum vero laxare, & in libro de anima atq; in problematibus,
probl. 24. calidum vniuersim coquendi vim obtinere; & calidū omne esse
sect. 14. & ἰσισπρασινόν τῆς ὕλης, attractiuum humidī, quod male vertit
probl. 3. Gaza, detractiuum. Scribit etiam Auerrhoes in Collectaneis ca
sect. 27. Ioris naturam esse aperiendi, & extendendi corporis partes, ni
Cap. 2. lib. 4. si fuerint sicca. nempe quod siccitas extensioni resistit.

De Calore veterum doctrina expenditur. Cap. II.

HAEC quum illi docuerint, respondere quidem Hippo-
 crati rem, planum est; nanq; igne ac sole ceram diffundi,
 metalla liquefcere, viridissima ligna exarescere, & resinacea pro
 pte exuri sensus docet. At quæ scribit Aristoteles, sunt diffici
 lia. Quum. n. calidum statuit per se cōgregare quæ similia sunt;
 illi autem accidere, ut disgreget. quæ sunt aliena; suspectum est.
 Nempe, quomodo in corpore, quod ex variis missum est, calor
 quæ similia in illo sunt, congregare possit, nisi prius similia à dis
 similibus separet; complecti animo non licet. primum igitur, &
 per se, disgreget; secundo congregat, imo vero ita calor disgre
 gat, vt quum hoc facere ille vnus possit, hoc ipsum eius pro
 prium sit statuendum; quum contrà frigori quoq; sit commu
 ne, congregare. Sed etiam caloris vis est, quod ille alibi scribit,
 vt laxet: laxare autem disgregare est quoddam, quippe separare
 quæ densa erant, ac proxima. Verum illud quoq; obscurum
 est, quidnam similiū nomine intelligat: similia ne calori; an
 quæcunq; alia inter se generis sunt eiusdem. non illud quidem
 prius, quia humidum cum calore eiusdem non est generis. ca
 loris tamen munus est attrahere humidum, vt ille ipse alibi scri
 bit: quod non est aliud quā humidum ad se congregare. Neq;
 etiam in aliis quæ à calore diuersa sunt, similia tantum; verum
 dissimilia quoq; calor congregat, res enim sensu apertissima est,
 mel, ceram, oleum, picem, à calore ita cogi, vt nunquam po
 stea caloris vi separari possint. & si etiam manu cogantur, nun
 quam tamen à calore seiungi. Transeamus vero etiam ad alia.
 Quod calorem terminos rebus ponere scribit, perpetuum nō
 est. metalla atq; alia quæcunq; calore liquefiunt, id aperte in
 dicant. Vbi enim fusa sunt, non nisi aliena figura ac termino
 dum talia perstant, coercentur. Sed neq; hæc potestas aut tran
 smutare

smutare, humectum reddere, siccare, durum facere, mollire, proprium est caloris; quum eadem frigus quoq; possit, vt ille ipse eodem loco docet. Non igitur quæ de calore Aristoteles, eius naturam prorsus explicant. Vt ne illud etiam prætereamus, illum ipsum quod alicubi tanquam proprium dat calori vt laxet & emolliat; frigori autem vt densum & durū faciat; alibi vtriq; facere commune. atq; illud, quod, quum caloris prima actio sit calfaciendi; quum præterea ignis atq; ignea medicamenta humano corpori admota varios effectus pariant; nempe & prurimum, & mordicationem, & tumorem, & vesicas excitent, & exulcerent, & exurant, & inducant crustas; horum tamen adeo insignium effectuum inter caloris effectus non meminisse.

Excusatio Veterum. Caloris vires communes & propriae.

Caput III.

CAETERUM neq; à veteribus quærenda sunt omnia. neq; est, qui non ex proposito tractandam rem quampiam suscipit, quod aliquid intactum prætereat, accusandus. De caloris effectibus ea sparsim sumpsit Aristoteles, quæ ad sibi propositum subiectum afferre aliquid lucis possent, proponere autem caloris vires omnes, neq; in adductis locis necesse fuit, si quis expenderit; neq; etiam commodum. vt propterea præteruisse illum aliqua non sit admirandum, sit potius posteriorum munus, positis ab eo fundamentis aliquid superstruere, & rem quoad fieri possit, illustrare, id quod, vt nos pro viribus nostris tentemus, illud ante omnia ponendum; Caloris vires alias esse proprias, alias communes. Communes proponit in libro de affectionibus mistorum. coercet quidem termino & figura æque frigus, ac calor. sed calor, coquendo, fouendoq; , insitum rerum calorem, formatricis facultatis instrumentum; cuius verumunus est figuram formamq; rebus inducere. contra frigus terminat, & indit rebus figuram congelando. congregat etiam tam calor quam frigus: sed absolute frigus; non sine disgregatione, calor. Ab vtroq; itidem fit permutatio, & in qualitatibus, quam alterationem vocant: similes enim sibi ipsis qualitates inducunt frigus & calor: & in substantia: nam vtrunq; , vbi excellat, substantiæ affert corruptionem: sed calor innatum humidum ab-

4 De Igneis medicinę præsidijis.

sumendo; frigus autem calorem extinguendo. commune etiã utriq; est humectare: sed id efficit calor colliquando, tum quæ frigidum constiterit, ut metalla; tum quæ calore moderato, ut carnes, frigus vero insitum calorem retundendo: unde cruditas est humiditatis inutilis causa. Arefacit & calor & frigus. sed is humorem rerum absumendo, hoc exprimendo. Emollit dura corpora calor, eorum humidum cum sicco terrestri, cui arctius connexus est, foras extrahendo; contra, frigus augendo humorem. auget autem ob caloris hebetationem: unde mala est coctio. Et hæc quidem sunt opera calori cum frigore communia. At si propria illius opera spectemus, primum & proprium munus est calefacere. Et si enim cælum sine calore, motu & lumine calefacit, ut philosophi docent; in his tamen inferioribus nihil nisi calidum, calorẽ inducit per se. Primum igitur eius opus est calefacere, ut frigoris refrigerare, & aliarum qualitatum sibi similes qualitates inducere. Calfactioni autem laxitas, quam rarefactionem vocant, attenuatio, apertio, fusio, incisio, attractio, partis rubor, pruritus, mordicatio, vesicarum excitatio, exulceratio, vstio, crustarum inductio succedit.

Ordo inter effectus caloris. Cap. IIII.

QUum tot sint effectus caloris, illum profecto hi singuli tam proxime comitantur, ut, sit ne, prioris aut posterioris inter ipsos ordo aliquis, statuere difficile sit. id quod tamen ad proprias caloris vires proponendas scitu esset dignum. At sic fortasse res habet. Quodcumq; corpus caloris esse obiectum potest, illi sunt & exterior superficies; & interior substantia; & meatus; & humoris vel in meatibus contenti, vel per substantiam diffusi, aliquid. Sicuti hæc partes igitur successiue calori sunt obuiam, ita, in caloris operibus est ordo. In humano corpore occurrunt primum cuticula & cutis. in has dum agit calor, post caliditatem, dum tenuem humorem qui meatus replebat absumit, meatuum laxitatem primum inducit, mox in interioribus meatibus diffusus eos eodem modo aperit, hinc humores illos in meatibus contentos inuadens ipsos concoquit: nempe crassos attenuat, tenues vero, illorum humore sensim consumpto, facit crassiores. simul autem, quum lenti simul & cras-

Liber Primus .

si sunt, fundendo, atq; attenuando incidit. Sequitur ad hæc ex-
tenuati, seu fusi humoris ab interioribus ad exteriorem super-
ficiem attractio, cuius dehinc varij sunt modi. Quum enim ca-
liditatis, sicuti & qualitatum aliarum quatuor sint ordines, pri-
mus eius, quæ obscure calefacit; secundus eius quæ manifeste;
tertius illius quæ cum manifesto calore obscure corrūpit; quar-
tus illius, quæ manifeste & calefacit & corrumpit; quod attra-
hit, quo leuiori calore est, eo etiam imbecillius trahit: quo ma-
iori, fortius, nisi ex ijs sit, quæ licet frigida, insita tamen substā-
tiæ proprietate trahunt; vt cancri, cochleæ, quæ contusæ infi-
xos carni aculeos extrahunt; ostreæ, quæ viuentes buboni im-
positæ illius venenum euocant, & similia. Quamobrem, aliqua
præter humoris interioris attenuationem, quod attenuatum est,
etiam foras eliciant; nunc quidem, si moderato sint calore, in
cute retinendum; nunc vero, si vel paulum excedat calor, vel ni-
si quid cutis meatus astringens addatur, dissipandum. postero-
ra hæc transpirantia, priora absolute attrahentia veteribus dice-
bantur. & in eo genere est dropax, de quo postea. Alia, vbi cu-
ti admouentur (quæ scilicet tertium caloris ordinem etiam at-
tingunt) ab interioribus ad cutem trahendo sanguinem, non tan-
tum ruborem, quem etiam proxime dicta, inducunt; sed præ-
terea, siue quia acrem succum foras extrahant; siue, quia ipsa-
met sui acrimonia acrem illum reddant; prurimum, mordicatio-
nemue simul cum tumore excitant. Hæc eadem, si renouen-
tur, & diutius parti insideant, efficacius agunt: & dum vberio-
rem humorem ac flatum in partem trahunt, id quoq; efficiunt,
vt extendatur cuticula in bullas, & à supposita cute absistat.
quæ dehinc ob succi attracti, vel copiam vel acrimoniam, à ca-
lore conquistam, disrumpuntur. hæc nostri vocant vesicantia.
ex veteribus, si has bullas illis compares, quæ in ambustis; vbi
tam violenter agunt, non superiori amplius nuncupatione, in-
flammantia; sed fortasse rectius, exurentia liceret appellare. sunt
etiam ex attrahentibus alia, quæ vim suam altius demittentia, cu-
tis humorem, quo illius continuitas seruatur, inæqualiter absu-
mendo; ad eamq; acrem materiam trahendo, ipsam exulcerant,
atq; erodunt. cathertica hæc, seu detrahentia dicuntur: vt alia
quoq;, quæ, si quid in parte corruptum est, insigni abstersione
potius, quam calore, detrahunt. Alia caliditate quidem etiam,
sed

6 De Igneis medicine præsidij.

sed magis inimica nobis qualitate, partis cui admouentur, spiritus atq; humores ita inficiunt, illi vt putredinem & sphacelum inducant. putrefacientia nos, græci septica vocant. Alia violento calore exurunt. hoc vero, vel parti duritiem crustamq; inducendo; quæ proprie escarotica vocantur, vel sine crusta, quæ simpliciter caustica, idest, exurentia dicuntur. quanquam escarotica quoq; caustica sunt, & hæc pro illis confusis vocibus sumuntur. Ita quidem igitur calor, effectus varios parere certo quodam ordine videtur, vt proposuimus.

Attrahentium gradus varij, & materia generatim.

Caput V.

QUum tam multæ sint caloris vires, quod quidem præsidia moderate calida veteres ad varia humani corporis comoda varie vsurparint; & nunc quoq; ad calfaciendum, laxandum, attenuandum, aperiendum, fundendum, incidendū, concoquendum, dissoluendum, ad aliaq; eiusmodi opera, quæ moderato fiunt calore, eorum sit vsus, intus forisq; admouendo; apertius est, quam vt à nobis fufius ostendendum sit hoc loco. At, quomodo ea quæ valentius calefaciunt, in vsu venierint; priuatimq; (quod ad rem nostram pertinet) quō ab interiorib⁹ partib⁹ ad cutē varijs attrahere modis liceat, nūc dicēdū; factō ab ijs, quæ simpliciter attrahentia dicuntur, principio. Hæc igitur, quum, ut antea diximus, euidenter quidem calefaciant; ac propterea in calidiori, ac molliori corpore, diuturna mora, & crebra renouatione aliquid ex intimis partib. foras trahāt; quia tamen non ultra secundum calidorum ordinem posita, imbecillime natura sua trahunt, mos fuit veteribus aliqua eorū quæ in tertio, imo etiam in quarto ordine sunt constituta, admista portione, qua non exurant, illorum vires adiuuare. Quæ igitur ad attrahendum veniunt, tum secundi, tum tertii, aut quarti ordinis calida, eorum materia sumitur tum ex plantis, tum ex animalibus, tum ex terra. Plantarum partes variæ uenere in usum. folia, ut abrotani, ditamni, nasturtij, thapsiæ, lepidij, timali: radices, vt peucedani, aristolochiæ, draconitū: pyrethri: fructus, ut sinapi, ficus aridæ: succi, ut pix omnis generis, resinæ, gummi ammoniacum, chalbanum, sagapenum, oleum vetus; cineres

Liber Primus.

neres etiam, ut farmentorum, abrotani; imo & carbonēs igniti, quibus in paropresi sudores elicere ueteres consuevere. Ex animalibus, adeps, medulla calidorum animalium: propolis, mel. Ex terra, sal, nitrum, bitumen, alumen quod plumæ vocant. arena igne aut sole feruefacta.

Attrahentium in cutem usus duplex. Attrahentia ad retinendum. Dropax. Caput. VI.

QUum hæc igitur materia ad attrahendum ueniat, duplex in huiusce præsidij usu consilium est. nempe, ut quod trahitur, uel quia utile est, retineatur; uel quia inutile dissipetur, atq; expellatur. præcedit quidem alius etiam usus, frigidam atq; humidam intemperiem, & concoctricem uim imbecillam, atq; obtusum sensum eius intemperiei sobolem corrigendi. Verum hæc fiunt nomine non attractionis, sed caliditatis, & siccitatis. Attrahunt igitur ut retineant ea, quæ in usum ducuntur ad alliciendum uel alimentum in gracilem partem, uel pilorum materiam in glabram cutem. Hoc medicamenti genus, generatim quidem ueteribus dropax appellatum est. Sed si simplex esset ex pice modico oleo liquata, picatio; si compositus, absolute dropax. & usurpatur quidem hæc uox à Martiali pro psilothro, ijs uersiculis,

„ Lenis dropace tu quotidiano,

„ Hirsutis ego cruribus, genisq; .

contrario prorsus quam a Medicis sumatur, sensu; qui attractionem in cutem, non detractionem pilorum intelligunt, non male tamen, quod, quibus induendus erat dropax, iis prius abradentur pili. ita ut duo facetus poeta nolet, depilationem, & studium corrigendæ gracilitatis. Conficitur ergo ex proposita materia dropax ad alimentum, pilosue in partem gracilem aut glabram attrahendum; habita tamen intemperiei, si frigidior, aut humidior adsit, ratione. Vbi enim frigidior sit, licebit ueterum exemplo, & piper, & pyrethrum, & bitumen addere; ubi humidior, & sulphur, & sal, & cinerem farmentorum. Sicuti etiam ad obtusum sensum, frigidæ humidæq; intemperiei sobolem, excitandum; euphorbium, ac similia. quæ à ueteribus in alopecix, atq; aliorum, quos diximus, affectuum curatione fustus proposita

8 De Igneis medicinę presidijs.
fita, non est, ut a nobis hoc loco repetantur. Et hæc quidem
de utilis rei attractione in cutem.

Attrahentia ad dissipandum. Caput. VII.

Quod autem inutile foras horum medicamentorum ui-
trahere studemus, id uel solidum est, uel non solidum.
hoc uero, uel liquidum, uel spirituosum. atq; hoc rursum,
uel solus spiritus, uel cum spiritu inimica toti corpori qualitas.
solida sunt, spicula, aculei, plumbei globi, & alia id genus.
ad quæ educenda facit propolis, ditamnus, aristolochia longa,
peucedanum, fermentum oleo incoctum. Liquida autem, id
est, humores, aliqua sub iclorum forma foras trahunt, ut masti-
che, terebinthina, & alia huiusmodi. quæ uentriculo admota te-
nuem sæpe humorem, extraxere. Sic ammoniacum gummi ex lie-
ne. sic ex aliis partibus sinapi, nasturtium, dracontium, atq; alia
expropositis. Alia rursum humores in halitus dissipant, qui de
hinc insensibili perspiratu abeunt, & diaphoretica dicuntur. quæ
etiam spirituosam substantiam, uel si crassissima sit, absumunt.
hoc præstant pix, resina omnis generis, oleum uetustum, o-
ponax, chalbanum, propolis, adeps, & medullæ calidiorum ani-
malium, præfertim uetustæ. Sunt etiam quæ uenenum foras tra-
hant. & horum quidem alia non sine calore; alia non tam ui ca-
loris, quam substantiæ proprietate. Non sine calore, theriaca ui-
peræ uenenum extrahit. Et (quod recentiorum experimento
depræhensum est) fimo equino uenenum ex lue uenerea con-
tractum, e corpore extrahitur, si id in illo totum obruatur, ut
tantum respiret. Consimile huic est, quod uenenatum homi-
nem in mulo, equo uel, dissecto, adhuc calente collocare ætas su-
perior adinuenit. Sine calore autem & substantiæ proprietate
uenenum extrahunt, & ostrea, & scorpio, ut supra diximus; quo-
modo & maluam quoq; aduersus crabronum icctum facere, est
existimandum. atq; hæc de attrahentium remediorum materia,
& commoda, satis. Si tamen de methodicorum paroptesi ali-
quid adiecerimus. Illos enim ex Oribasio constat, ad refectio-
nem, carnisq; instaurationem, soli atq; igni uniuersum corpus,
maxime autem dorsum obiecisse, ut incallescens uis uoluntarij
motus instrumentis, totum corpus ualentius redderetur.

Cap. 9. & 10.
lib. 10. me-
dic. collect.

Qui

Qui etiam Author ad diurnos alicuius membri dolores fo-
mentum ex carbonibus, & motam ad ignitos patietes propo-
nit, quam paroptesin, idest, adassationem vocabant, quam
Caelius quoque Aurelianus in medium reuocat, ex sole, &
carbonibus, in diurno capitis dolore, & in paralyti, & in
curatione flueatis sanguinis, & in phthisica passione: ex arena
autem sole ignita, in hydrope, atque arthritide.

Inflammantium natura, & materia. Cap. VIII.

Sequuntur inflammantia, quæ quum partem, cui admo-
uentur, corrumpant; plurima tertium, multa etiam
quartum caloris ordinem attingunt; ita, vt diurna mo-
ra vesicas quoque excitent: imo etiam pertinaci atq; immo-
derato vsu cutem exulcerent, præsertim si in puluerem, aut
cineres ducta cum fermento aliaue re simili admoueantur.
Præcipuus inter hæc, & frequens vsus fuit sinapi. Vnde &
sinapismum huiusmodi medicamentorum admotionem
nuncuparunt. cum sinapi autem caricam maxime mos fuit
admiscere, sicut & fermentum vetus acre. Huius ordinis
sunt nasturtium, aristolochia, thapsia, lepidium, titimalus
ranunculus, scilla, & clematis flammulæ nomine nunc fre-
quenter vsitata. Est & mel anacardinum, Auicennæ: & Stel-
la piscis, cantharides, columbarum Syluestrium, & capra-
rum simus. calx viua, nitrum, alumen plumæ, æs vstum: Si
tamen & moderate, & cum aliorum imbecillium commistio-
ne vsurpentur. alioqui enim quum tertio aut quarto ordine
calida sint, exurere etiam & excitare crustas solent. Quis
autem huiusce generis medicamentorum vsus, & quæ vt re-
cte in vsum ducantur, obseruanda, paulo post explicabitur.

Cathereticorum natura, & materia. Cap. IX.

Succedunt catheretica, superioribus calidiora, maioriq;
& exulcerandi, & vrendi vi prædita. Hæc qui aiunt ob
crassitudinem substantiæ minus profunde agere, quàm
superiora, falli res ipsa docet, quæ enim cutem, solidioraque

10 De Igneis medicinae praesidijs.

corpora detrahunt, altius proferre vim suam palam est, quae ea, quae summam tantum cutem corrumpunt. Ad putres autem atque inutiles carnes aptissima sunt; & ad eas magis visitata, quam ad sanas. illas enim potissimum detrahunt, his intactis. horum simplex materia est veratri, hermodactylorum, asphodeli puluis, & radiceis mercurialis, aristolochiae, gentianae, ac superiorum, quae ad sinapismum veniunt cinis. Sed & ranarum, testarum, ostrearum, ac lanæ sordidæ cinis, & æs vstum, squamma æris, ærugo, & alumen quoque & calcanthum, auripigmentum, & stimmi vsta. & oleum sulphuris ac calcanthi, & praecipitatum quod ex hydrargy- ro; & aqua stillatica ex nitro, alumine, calcantho. sunt etiam composita non pauca. & pastilli Andronis, Polyidæ, Musæ, Pasionis, apud Galenum. & unguentum Aegyptiacum, Damascenum, Apostolorum, atque alia, quorum vsus nunc est frequens.

Cap. 2. Se-
cundi ad
Glauc. &
5. de cõp.
med. per
genera.

Septicorum natura & materia. Caput. X.

Proxima erant septica. a quibus caro putrescentis carnis instar corrumpitur, ita vt & laxa, & decolor, & humidissima reddatur. Huius generis sunt auripigmentum, quod & arsenicum vocant. dryopteris, chryfocolla, pityocampe, aconitum. imo & catheterica nunc dicta, vbi illis accesserit tenuitas, vel terendo, vel cum humida re aliqua commiscendo, quale est lixiuium acre, vrina, saliuua, butyrum, axungia, aqua ardens. De horum vtilitate atque vtendi ratione agemus postea.

Cauticorum natura, materia, differentia. Caput. XI.

ERant postrema caustica igneorum omnium remediorum calidissima, crassissima autem substantia, & plurimum terræ habentia; propterea quum hoc nomine subire altius non possint, insigni tamen, ac pertinaci calore, vsque adeo penetrant, vt profundas etiam partes inducta illis crusta, corrumpant, atque exurant. quare ob calorem ac penetrationem dif-

ficilem,

ficilem, maximum excitant dolorem. Sunt autem hæc duorum generum. alia actu exurentia, alia potestate; quæ actu ignita admouentur, actu exurunt, potestate quæ actu frigida sunt autem hæc medicamenta, quæ licet ex superioribus quoque phænigmis, catherticis, & septicis sumantur; eam tamen ignis efficaciam habent arte comparatam, ut illis longo superiora, ignis instar cutem alius exulcerent, relicta, veluti ab igne, crusta. Sicuti autem inflammantia medicamenta ex plantis desumpta, quæ diximus, vesicas in cuticula tunc fere tantum excitant, quum contusa illi admouentur; cutem verò altius penetrant, ubi in puluerem aut cinerem ductæ usurpantur; ita cathertica & septica, ubi ystione in cinerem redacta sunt, tenuiorem substantiæ modum adepta longe validius agunt: ut causticorum more crustas etiam inducant. Sunt hæc igitur, & quæ ex ijs sunt, caustica potestate. quæ, licet actu frigida partibus admouentur, eas tamen paulo postea exurunt. Ex ijs esse aliquando existimauimus cauteriū frigidum, cuius meminit Paulus ad stigmata; quæ aliquos ac ranunculo, aliquos cauterio frigido curasse, quod etiam ad thymos atque acrochordonas proponit. ita ut, quæ potentia lia dixeret posteriores, ea fuisse veteribus frigida cauteria simus arbitrati. Ceterum, quod hic ipse Author frigidum cauterium proponit tanquam a ranunculo diuersum, qui tamen inter potèntialia caustica nō est postremus; de frigido cauterio aliud ut suspicemur, facit. An igitur frigidum cauterium ferramentum fuit, ignitum quidem, sed non insigniter candens? Nam & in libello de visu Hippocrates ad attenuandas palpebras ferramenti non admodum candentibus vitit. & libro de hæmorrhoidibus, inducta in sedem fistula, ferramentum, quod candens immittit, vult frequenter eximi; ut resicentur quidem venæ; at non tamen contrahant vlcus ex calore. Sic & stigmata, & thymi, & acrochordones apud Paulum, non importune, minus exurente ferro tolli possunt; si modo tanta illi arefaciendi vis insit, ut glutinosum humorem; quo illa cuti hærent, absumat. Sed redeamus ad rem. Caustica igitur potestate talia, sunt medicamenta. inter quæ præstantissimum locum tenent calcanthum, calceitis, maxime

Lib. 4. cap.
7.

Lib. 6 ca.
58. et 87.

12 De Igneis medicinae praesidijs.

verò vsta, aut fusa, quale est quod nunc oleum Calcanthi nuncupatur, ex his etiam est calx viua, ranunculus, euphorbium, & Cathertica, & septica, de quibus egimus, praesertim in cinerem conuersa. Quae verò actu exurunt, eorum multiplex materia est. Est enim nunc solida, nunc liquida, nunc mediae consistentiae. Solida fumitur nunc ex metallis, ferro, auro, argento, aere; nunc ex plantis; nempe & radices aristolochiae, gentianae, centaurij; & bacilli buxei, querni, vitiginei, laurei, & quaecunque durioris materiae sunt, extremo altero vstulata, ad exurendum veniunt opportune. Meminit etiam Hippocrates alicubi fungorum, ad inurendum hepar. quorum & Caelius Aurelianus, vbi de hydrope, his verbis. Alij ligneos fungos inferius ac superius angustos formantes, patientibus apponunt locis, quos summitate accretos sinunt concremari donec cinerescant, atque sponte decidant. Sed & Paulus in diuturnis stomachi fluxionibus Barbaros in vsu ait habuisse spongiosa quaedam corpuscula in quercubus, & regiarum nucum arboribus nascentia, quae isce vocantur. Et Aetius quoque in diuturnis oculorum fluxionibus quosdam refert Barbaricis legibus seruentes inurere tempora, vel medicamento, vel medulla lignorum inglandis nucis, quam hyscas appellant. Hor materiae genus non aliud fuisse nos arbitramur, quam fungos illos arborum, praesertim laricis, aridos, quibus ad ignis silice excussi fomitem vulgo vtimur. nempe hic fungus in nuce regia (non in corylo vt aliqui scribunt) frequenter reperitur, & ex ea, non autem ex eius ligni medulla, vt est apud Aetium, id paratur, quod vulgus seruato veteri vocabulo adhuc escam vocat. Quum tam multa igitur ex plantis ad vrendum venerint, fuit etiam solidi aliquid ad hoc ipsum ex animalibus aliquando vsurpatum, vt caprinus simus, quo ignito, & Dioscoridem, & alios vsos constat, vt suo postea loco. Liquida autem causticorum materia est aqua simplex feruida, butyrum, mel, oleum, adeps, & omnis generis liquor igne feruens. Sic Hippocrates aliquando fuis buxeis in feruenti oleo tinctis inurit, quum magnum fuerit hepar. Constat etiam ad hunc vsum plumbum liquefactum aliquos duxisse, aetas an-

Lib. de internis affectionibus.

Lib. 6. ca. 49.

Lib. 7. ca. 89.

Lib. de internis affectionibus.

rem nostra aqua illa vitur, qua sapo conficitur, & ea qua argentum ab auro separatur, quæ actu etiam frigida sunt efficares, sed si igne ferueant, efficaciores. Est & mediæ consistentiæ aliquid ad vrendum non inutile, nempe & linum crudum, quod alicubi ad coxendicum, & podagricum morbum Hippocrates proponit, tale scilicet linum, vt arbitror, quale ad medicas cucurbitas affigendas vsu venit, ita ad concipiendam flammam aptum, vt quod coctum est ineprum est. talis est etiam lana exusta; imo & aracearum quoque tela, qua stilo obuoluta, atque ignita pensiles verrucas vidimus aptas reddi, vt digitis captae euellantur.

Vrentium remediorum vis generatim in corpus & partem cui admouentur. Caput. X. I. Iq. menoi. b. h. s.

HIS de vrentium remediorum speciebus ita propositis nunc, si eorum naturam vimque generatim expendamus; primo quidem, vt particulam, quæ exurit, calefcere atque desiccari apertum est; ita ignea vi in circumstantes partes, longe lateque extensa, atque etiam vsque in cor diffusa; & dolorem, moxque a dolore inflammationem, & febrē non raro excitari accidit: quæ singula vbi perstant, vrgentque (sit autem hoc maxime, quum in exactioris sensus parte multum spacij vstio occupat) & vigilias quoque, & ob vigilias corporis totius langorem, ac cruditatem sequi necesse est. quæ si protrahantur, sique vlcus vstione excitatum inueterascat; tum quidem & innatum exustæ particulæ calorē languiscere, & pro calida ac sicca frigidam atque humidam intemperiem reponi: &, dum vtilis eius succi vna cum inutilibus exhauriuntur; in ipsamque iam imbecillam praua aliunde confluunt excrementa; male nutriri, ac tabescere: ad actionemque, qui dicata est, obeundam infirmam reddi quotidie obseruamus. Hæc quum sint vrentium præsidiorum opera, non igitur remedij, vel maleficæ potius causæ vim ipsa habere aliquis existimarit. At contra, quàmuis dissimulare mala nō liceat quæ diximus, quia tamen, vbi vstio recte adhibetur, corriguntur vitia & ipsarummet, quæ vruntur,

14 De Igneis medicinae praesidijs.

& aliarum etiam partium, quarum inutiles succi per relictum ab vltione vlcus expurgantur; non immerito hic quoque inter praesidia reponitur. At recte adhibere non facile est, de qua re propterea opportunum nunc est, vt agere aggrediamur. Si prius tamen duo ex ijs quae diximus enata problemata dissoluerimus.

Cur vltione, non autem sectione, cutis aperiatur ad prauorum succorum educatione. Caput. XIII.

QUVM enim vltionem vtilem esse diximus, quia per vltum locum succi inutiles expurgantur; hoc aliqua eget animaduersione. Namque si ad prauorum succorum educationem aperiuntur cutis opus est, cur sectione potius quam vltione, cutis non aperiatur? Tum verò scitu illud dignum est, cuius nam concoctionis excrementa hoc praesidio euacuentur. Verum prioris quaestionis non vna est ratio. Cutis minori cum periculo vrendo aperiatur. Sectioni enim succedere potest immoderata sanguinis profusio, cuius, ex vltione periculum non est, quia sola cutis violatur: cui inducitur crusta, sanguinis exitum, si immineret, suppressura. Breuiorem etiam infert crusta doloris sensum, nempe, & si (quod ad sectionem pertinet) celerrime, partium, quae secantur, dolor sedatur; quod tamen meatum quaerimus, per quem diuturno tempore inutilis humoris fiat excretio, ob idque ne vlcis labra coeant, agendum est; si cutis sectione aperta sit, intra vlcis labra, ne coeant, immittere linamenta oportet. Sunt verò labra integro sensu, neque linamentum ferre sine molestia queant, praestat ergo vtere, quum vrendo sensus auferatur. Adde, quod vlcus, per quod, excrementorum exitum quaerimus, si vrendo fiat, longe diuturnius seruatur, quam si secando, tum enim ob inductam partibus vltionis vicinis intemperiam naturali temperamento dissimilem; tum ob figuram, quae fere orbicularis in vlcere ab vltione relinquitur; aut certe, si orbicularis non sit, quia tamen angulos non habet, vt habet id, quod fit sectione; neque labra labris adiungi, neque conglutinari facile potest; minus facile sanescit.

scit. Ut propterea recte scribat Celsus, quod per ignem diuisum est, minus celeriter coire. Cur igitur Medici vstionem in proposito, de quo agimus, præferant sectioni, apparet.

Cuius concoctionis excrementa per exustum locum euacuentur.

Capitulum XXI

Proxima quæstio est, cuiusnam concoctionis excrementa possint per exustum locum euacuari. In memoriâ reuocandum est, quadruplicem in humano corpore fieri concoctionem, prima est alimentorum in ventriculo, quæ illorum est conuersio in chylum. cuius excrementa sunt & stercola, & crassa illa pituita quæ in ventriculo affluit, atque intestina munit; præterea verò, & tenuis quoque pituita serimateria. Secunda, chyli in mesaraicis venis, & iecore. cuius excrementa sunt bilis quæ in vesicam felleam excipitur, & alter humor, qui in lienem, ad hæc serum, quod in frigido iecore copiosum gignitur. Tertia sanguinis in venis, quæ a iecinore in vniuersum corpus feruntur; per accidens illa quidem, quando venarum munus est, non coctio, sed distributio; non vana tamen, quum a venarum calore elaborationem sanguis maiorem conquirat; cuius excrementa sunt ichores omnis generis humorum. Quarta sanguinis in solidis partibus, quæ est ipsius in illarum substantiam conuersio: cuius excrementa sunt ipsi quoque ichores pro varia illarum temperie varij. Tot igitur quum sint coctiones; quæ quidem prima sunt excrementa, apertum est vomitu, aut secessu euacuari; secunda sanguinis missione, ac purgatione. adde etiã per vrinas ea quæ in gibba iecinoris sunt parte. quibus itidē remedijs tertia quoque concoctionis sordes possunt educi. De ijs quæ ex quarta sunt concoctione, quæ in cutis meatibus hærent, dubitatio est, an huiuscemodi præsidio possint euacuari, quomodo enim possint a spacijs extra venas in tenuissima venarum capillamenta retrocedere, vt ab ijs ad ampliores venas retracti vel medicamento, vel venæ sectione euacuentur? His igitur ex vstu esse vstio potest, quæ per vlcera

ceratam

16 De Igneis medicinae praesidijs.

ceratam & apertam cutem inutiles eiuscemodi succos educendo, ars naturam imitatur, cuius bene gubernantis impetus omnis est ab interioribus ad exteriora. Et negare quidem non licet, haec ipsa tum per venae sectionem, tum per purgationem quoque posse euacuari, quae venosi generis humores detrahendo, materiam quoque eorum detrahunt, quae in solidis partibus gigni solent, possunt eadem exercitatione quoque, & balneo, & inedia absumi. attentare his modis illorum euacuationem non licet, sine vitium succorum consumptione, ut propterea ad pravae quartae concoctionis fordes euacuandas appositum praesidium sit vltio, & ea maxime qua vlcus diutius trahitur.

Quae ad rectum Igneorum praesidorum usum sint obseruanda.

Caput. X.

AG E nunc, ut quae ad rectum propositorum praesidorum usum obseruanda sunt, perquiramus, illud primum constitutum sit, quum in omni mali curatione duo se offerant, remedij inuentio, atque vsus; ut quidem inuentio ab ipso sumet mali natura suggeritur, ita vsus a corporis affectu statui indicari. Vt quis igitur tuto ad vltionis remedium accedat, ex affectu quidem, an vrendum sit doceri debet. tum vero postquam vrendum esse intellexerit, admittat ne corpus id auxilium, expendere. Si consentiat, vrendum: Sed adhibita tamen & ante vltionem, & in ipsa vltione, & post ipsam, diligentia, quando aliqua sunt, quae si negligantur, efficere facile possunt, ut non auxilium, sed pernicietas sit inturere. Docendum igitur nobis est, primum quibus nam generatim praeter naturam affectionibus vltio vsu veniat. tum quae corpori, cui hoc remedium adhibere animus est, adesse oporteat. Dicendum dehinc de vltionis modis, & explicandum, quid in illis ante vltionem, quid vrendo, quid post vltionem considerandum sit, atque agendum. His absolutis, ueterum in singularibus morbis diligentia, inque igneorum praesidorum usu uarietas proponetur, atque expendatur.

Quibus affectibus vstio vsu veniat generatim.

Caput. XVI.

QVVM igitur affectus præter naturam sint morbi, causæ, symptomata, horum quidem singulorum gratia ad vrendum veteres accessisse, facile patebit postea. Nunc autem qui in vniuersum rem expendit, nullum illorum genus esse intelliget, cui remedium hoc aliquando, vel alterationis, vel euacuationis, vel auersionis nomine, non conueniat. alterationis quidem, vel euacuationis, ipsis, quæ egræ sunt, particulis; auersionis autem, sanis propter ægras admotum.

Quos affectus egræ partis vstio curare possit.

Caput. XVII.

CORRIGERE igitur vstio potest in intemperierum genere illam potissimum, quæ frigida est atque humida, si sine materia; alterando, quia calefacit & exsiccatur; si cum materia, euacuando, quia materiam vel foras trahit, vel absomit, aut quia relicto vlcere illi exitum parat. Tollere potest abditam intemperiem, dum venenum ab intimis in cutem allicit. Conducere potest etiamnum morbis in compositione, vt tumoribus; dum ijs apertis fiat saniei euacuatio. Et in solutione vnitatis, dum vlcera insigniter desiccatur. De causis aperta res est, quando caloris ea est vis, vt superuacantes humores foras trahat, dissipetque; atque etiam, si quid trahi non potest, illi tamen per vlcus, quod efficit, det egressum. De symptomatibus quoque non obscurum est, quum & dolorem, & immoderatam sanguinis profusionem sæpe tollat, dolorem quidem, vel causa educta, aut mitigata, vel ablato sensu. Fluxum autem sanguinis, ocluso crusta orificio, per quod effluit. Hæc in vniuersum præstare affectæ partis vstio potest, tum insidentes iam parti affectus contraria vi corrigendo, tum euacuando.

C Quomodo

Quomodo agræ partis gratia sanæ urantur. De retrocessu, Galeni
locus expenditur. Caput. XVIII.

NVNC quomodo partibus, quæ agræ non sunt, auer-
sionis nomine, vltio frequenter fit ex vsu, quia dispu-
tio hæc maximum huiusce præsidij fructum pollicetur, di-
gna res est, vt paulo diligentius perquiramus. Illud igitur
ante omnia ponendum, in morbis omnibus, quibus humo-
rum affluxus coniungitur, vltionem semper affectæ parti de-
beri: ita vt, si intemperies frigidior tollenda sit, si corrupta
pars auferenda, si apertio occludenda, si venenum extrahen-
dum, aliam partem inurere, quàm, quæ patitur, a ratione
prorsus sit alienum. At si vnà humorum adsit cumulus dum
ij quidem facile dimoueri loco possunt, aliorum auertendi
sunt: per retrocessum, si aliunde in affectum locum confluât:
sin autem in illa ipsa agræ parte geniti sint; dum mobiles
sunt, per retractionem in vicium locum. Ita quidem Hippo-
cratem, quum in dolore proximum ventrem purgari iubet,
non de fluente humore, qui ad contraria Galeno auctore,
trahendus est; sed de eo, qui in ipsamet dolente parte origi-
nem habet, & qui adhuc mobilis est; esse intelligendum exi-
stimamus. quum autem retrocessum, cuius meminimus, fieri
scribat Galenus repellendo, transmittendo, attrahendo; duo
quidem horum ars efficit, quæ & repellit, & attrahit, tertium
autem natura. Nempe repellitur humor à parte, in quâ fluit,
frigidis atque adstringentibus medicamentis, quibus humor
qui fluit fit crassior, cutis autem densior. At trahitur calfacien-
do, atque dolorem excitando in parte, ab ea, in quam fit flu-
xió, diuersa. Transmittitur, a natura partis, cui repellentia
admoventur, in seipsam contractæ, exprimeorisque ad partes
alias id quod influit. Itaque si ad fluentis humoris retroces-
sum vltio vnquam opportuna est, apertum quidem est, non
laxa parti, a qua repellere consilium est; sed alteri sanæ de-
beri. At quum constitit iam humor, ad inania spacia effusus,
fixusque in parte, ita, ut retrocedere nequeat; euacuati qui-
dem illum non alia ratione posse, quam per patientem locum
manife-

6. Epid. se
Etio. 6. sen.
5.

Libr. art.
med. cap.
95.

manifestum est. An igitur vstione euacuari debet? Galenus duo euacuationum genera proponit, scarificationem, & medicamenta, quæ vim habeant dispergendi. vstionis non meminit, sicuti neque etiam in superiori casu retrocessus. Sed sapienter ille quidem in recenti adhuc morbo, soluta tamen inflammatione (sic enim intelligendum esse ea docent, quæ de hinc subdit) scarificationem admittit; non admittit vstionem; non oblitus hanc non nisi postremo loco conuenire, & vt postea ostendemus. Erit igitur vstio & ad retrocessum, & ad euacuationem non inutilis, vbi alijs præsijs inueteratum iam vitium non cesserit. Cæterum quod retrocessum fieri diximus trahendo, & vrendo, explicandum est. Humores igitur, seu materia alia quæuis morborum author, si in parte, quam affligit genita non sit; aut fluxura est, aut fluit, aut iam fluxit, aut partim fluxit, & partim fluit. Quum autem quod iam fluxit, vel impactum iam sit in parte, in quam fluxit; vel nondum sit impactum; quod iam impactum est, retrocedere non potest. potest quod fluit, & fluxurum est. Sed hic animaduersione est opus. Si enim pars, a qua materiæ illius ortus motu suo principium est, vna sit; illa quidem exurenda est, & dicitur reuulsio ad originem, aliquando non ipsa; sed commoditatis gratia, intermedium inter mittentem & excipientem partem locus vritur, quæ ipsa quoque reuulsio, sed localis, dici potest. Quod si non vna sit pars, sed multæ; aut, si fluxionis origo lateat; tunc partem excipienti contrariam vrrere consilium erit: Sed vbi prius notatis, sit ne fluxio vehemens, aut imbecilla, ubi enim vehemens, præsertim quæ non flatuum, neque prauæ tantum qualitatatis, sed humorum est fluxio; non ad contraria modo; verum ad locum ab ea parte quæ recipit, longinquissimum trahendum est. Estque hæc reuulsio absolute, simpliciterque dicta. ubi mitior sit fluxus, non tam distans ab excipiente loco locus, sed illi tamen contrarius, maxime secundum sursum ac deorsum, queritur. & hæc reuulsionis itidem, sed secundum quid, seu localis nomen habet. At vbi constitit iam fluxio, quod impactum quidem iam & stabile est, ex ipsamet parte euacuandum est, quæ euacuatio simpliciter, seu localis dicitur. Quod adhuc mobi-

20 De Igneis medicinæ præsidij.

le est, eius aliquid potest retrahi. retrahitur autem ad vicinam, atque ad latera, quæ proprie deriuatio nuncupatur. His ita positus, tum illud explicatum est, quid sit in causa, vt non male affectam semper, sed etiam sanam partem, nunc propinquam, nunc longinquam, vrere Medicus debeat; Tum præterea, quomodo ignis, vel affectæ, vel sanæ parti admotus, conferre possit eo nomine, quo vel alterat, vel euacuat, vel auertit. quomodoque ex affectibus præter naturam, remediij, de quo agimus, sit inuentio.

An vsus frigidæ solum intemperiei: An recenti morbo conueniat. Caput. XIX.

CÆTERVM aliquid hoc loco est, quod non leuem pariat dubitationem, quod enim ad frigidam atq; humidam intemperiem corrigendam hoc remedium proposuimus, duplicem habet quæstionem. alteram, an solum frigide non etiam calidæ intemperiei conueniat, alterum, an hoc ipsum curandi genus recens affectus admittat. Nempe, quod calido quoque morbo ignis inutilis non sit, Galeni est exemplum, qui in Romana muliere, in acri capitis ad thoracem destillatione palumbi sterco capiti inducit. Est & ætatis nostræ mos vesicas calorificis præsidij in febribus mali moris, excitandi. Quod autem in recentibus morbis non conueniat. Hippocratis Authoritas suadet. tunc solum, quum medicamenti & ferro vitium non cesserit; passimque in inueteratis tantum affectibus ignem proponentis. vt in particulariū morborum enumeratione indicabimus. sic Albucasis; qui igneorum præsidiorum usum fuisse proponit, omnia prius tentat, & inueterascente tantum morbo ignem adhibet. Verumenimvero quod calidis affectibus calida remedia nonnunquam conferre accidat, nulli ignotum est. non est id tamen calefactioni dandum; sed operæ alteri accidentariæ (vt ita dicam) quæ aliquando illi præferenda est, quæ propria est. In Romanæ ergo mulieris curatione recte Alexander Trallianus Galenum incusaret, si propriam caloris vim spectes. a calore enim calidam capitis intemperiem augeri

necesse

5. meth. c.
13.

7. aph. 85.

lib. 7. c. 1.

necesse est. at non recte, si præcipitem humoris in thoracem lapsum obserues; quem inducto capiti medicamento, in cutem reuocat a thorace. quanquam neque ad hoc remedij genus capiti inducendum Galeni exemplo, in consimili etiam affectu, cuiusuis est, vt accedat. neque, si accedendum sit, id tamen bene est, statim ad morbi initia, uel alijs præsidijs antea non tentatis, euacuatione maxime inuicium totius corporis succorum; prætereaque priuatis alijs auxilijs, quales sunt lotiones ex dulci aqua multæ, ad discutiendos uapores, temperamentumque in melius commutandum, vt Aetius docet, eos increpans, qui destillante a capite in uentriculum humore, ubi capitis sanitati ante omnia prospicere oportet, ex thapsia ac sinapi cataplasma imponunt. Quomodo igitur in calido affectu præter propriam, quæ ab affectu proponitur, indicationem, calidum præsidium aliquando sit ex usu, apparet. De nostri autem temporis consuetudine qua in febribus, insigniter inflammantia tam prompte vsurpantur, paulo post futurus est sermo. Quum uero quæritur an in recenti affectu igne uti liceat, paucis sic statuerem. si de læsa parte, uel alterationis, uel euacuationis nomine inuenda, indicatio sit; ubi sine præsentaneo uitæ periculo sit, alia prius tentanda præsidia, & uniuersalia & particularia, qualia morbi vis celeritasque permittit: dehinc vrendum. dum hæc autem fiunt, id quoque efficitur, ut morbus non amplius sit recens. At, si præcipitis mortis instet metus, sicuti in venenis; tunc protinus ustione vitiū in cutem trahere necesse est, ne labes intima subeat. At si ustio illa indicetur, qua sana pars alterius non sanæ gratia exurit; sicuti reuulsiones, auersionesque aliæ suum habent locum in fluxionis cuiusque initio, ita etiam exustio.

*Observanda in corpore, in quo animus est uti præsidij
exurentibus. Cap. XX.*

AGE nunc, ut ne ab instituto ordine recedamus, quid in affecto corpore spectandum sit, uideamus. Quum igitur ustio calfaciat & exsiccet, non immerito in corpore calidioris ac siccioris temperamenti, siue naturalis, siue aduenti
tij,

tij, ut in febricitantibus, vrere suspectum praesidium est. sic,
 ubi siccitas exsuperat, ut in gracilioribus. non ita in frigido
 atque humido temperamento. Dolorem etiam ustio excitat,
 ita ut qui exactioris sunt sensus, qui mollioris animi, qui non
 consueti, ob spirituum ex dolore dissipationem, in animi quo
 que defectus incidant. In his ergo vrere minime tutum erit.
 Fit etiam num spirituum largior aliquando effusio, quae vires
 maxime extenuat ijs, quos alui fluxu, sanguinis profusione, sudo
 re, inedia, uigilijs, venere, animiq; cōtentione ac perturbatione,
 aliave sēsili, aut insēsili euacuatione cōtingit laborare. in his
 igitur nō ita licet vrere. sed neq; in corporibus, q̄ multorū hu
 morū copia aggrauat. his enim si vstionem non imminuta co
 pia, adhibeas: agitatione spirituum simulque humorum fa
 cta, ne in locum qui vritur violentius commoti inflammatio
 nem pariant; aut ne in principem partem aliquam repente
 irruant, non leue periculum est. id quod, quum ueteres obser
 uarint, ante horum praesidiorum vsum, diligentissime expur
 gatum esse corpus oportere, vno omnes ore frequētius incul
 cant. Obseruanda etiam aetas. nempe, quae infirmior est, illi va
 lidum violentumque qualis aliquando vstio est, praesidium,
 dissentaneum est. quare pueris ob dolorem, atque animi, &
 corporis molliciem, minus aptum remedium est, quamuis oc
 cipitis ustio, quae pars minus praedita est sensu, si tamen leui
 ter cutis tangatur, aliquando tolerabilis est. In senibus alia ra
 tio vstionem interdicit. nempe calor illis exiguus est, inutiles
 autem succi plurimi. quum igitur vstio temperiem, calorēque
 partis labefactet, confluentibus ad exustum locum humori
 bus. periclitatur facile calor, & extinguitur. sic in senibus gan
 grenae cauterijs frequenter succedunt. Sane autem praeter
 haec quae in corpore toto obseruanda sunt, sunt & partes spe
 ctandae, quas exurere animus est, & quarum gratia vrendum.
 Non ferunt enim vstionem calidae & siccae partes, neque il
 lis utilis esse potest, nisi per accidens, ob inutilem succorum
 euacuationem, quae a relicto vlcere consequi postea solet. Fri
 gidae atque humidae sepe adiuuantur. Aduersum est hoc
 ipsum remedium gracilioribus & tabefactis partibus, quod
 eas immoderatius extenuat; & neruosis ac membranosis, ob
 sensum.

senfum. quare & musculorum capita ac fines, & partes tandem quibuscunque inest exactior uis sentiendi, euitandæ. Ita quomodo utendæ partis naturam statumque nosse antequam vramus, oporteat, apparet. sed ad hunc locum ea quoque pertinent, quæ, ubi agræ partis gratia sanam exurere animus est, paulo ante de retrocessu, de reuulsione, ac deriuatione proposuimus; prætereaque alia momenti maximi observatio, ut in urendæ partis delectu consensus, communitasque aliqua intercedat. Quanquam enim corporis totius consensus unus, & una communisque conspiratio est: & quæcunque pars vratur, ad eam ex corpore toto, quod inutile est, gubernatricem naturam propellere uerisimile est: seruum id tamen auxilium est, ubi priuatus consensus deest: quærendus ergo est consensus, est autem hic tum manifestus, venarum ac lateris; tum obscurus, qui inter corporis partes quasdam nulla priuata communione coniunctas reperitur. ita ut affecta vna, in cōsensum altera trahatur; qualis est inguinibus cum thorace ac pedibus. Ut igitur, ubi celeri & valida humorum retractio est opus, venarum, maxime magnarum, & eiusdem lateris communitas quærenda est: ita ubi imbecillior retractio quæritur, consensus per minores venas, aut saltem per latus idem satisfaciet.

An exurentium, quæ cuti admoventur, calor in cor usque diffundi possit. An febricitantibus conueniant. Cap. XXI.

HActenus quibus affectibus generatim conferre uestio possit, quodque in vniuersum ad recte hoc præsidio utendum expendere opus sit, videmur explicasse. Ad modos nunc seu species uestionis transeundum esset, & docendum, quomodo singulæ ad affectus varios fuerint a ueteribus usurpata. Cæterum non desunt in ijs quæ hæctenus proposuimus, aliqua, vel obscura, vel non omnibus accepta. quæ prius diligenter illustrare stabilireque bene est, ut de hinc ad id, quod ordo postulat, redire liceat, & continuato stylo disserere. Primum igitur ubi de uestionis operibus generatim egimus, effundi in

di in circumstantes ultioni partes igneam rem, sæpe etiam ut
 que ad cor, & febrem excitare admonuimus. Quod suspen-
 sum est, quando ea quibus utimur ad vrendum, cum quibus
 illa quoque sunt quibus vesicæ excitantur, ex attrahentium
 sunt genere, quæ non in interiora diffundere, sed foras euo-
 care & humores & calorem solent, atque eo nomine confer-
 re possunt in febribus, præsertim uero in pestilentibus, & in
 quibus extrema externaque algent, superiora interioraque
 uruntur; in quibus reuocare a corde, atque ab intimis penetra-
 libus, & a partibus nobilibus ac supremis ad cutem atque ad
 inferiora quod noxium est, tenetur Medicus. sic in cardiaco
 affectu, qui scilicet non sine febre est, quique pestiferis febribus
 frequenter assidet, Aetiûs: sic in pestilenti febre Paulus
 atque Auicennas, si interiora vrantur, extrema algeant, per
 uaria auxilia summe calfacientia, qualia etiam vesicas indu-
 cunt, omnem dant operam, ut externas & extremas partes
 calfaciant. sic magni beneque periti in facienda Medicina
 tate nostra Medici hoc præsidij genere perniciosissimas fe-
 bres expugnari quotidie obseruant. Vtilis ergo esse ultio po-
 test in febribus. Caterum neque idem est omnium febrium
 in pestilentium genere modus, neque eadem ægrorum corpo-
 rum conditio & robur. Quod eiusmodi remedijs admotis
 aliqui, duriori maxime corpore, & viribus natura firmiori-
 bus, a lethalibus eius generis morbis euaserint, qui neget, sen-
 sum neget. At neque cuiusque est opportunum eius remedij
 tempus assequi; neque, si aliquando ex usu fuit, trahere id in
 perpetuum usum licet. Disputatio est de ordinarie exurenti-
 bus medicamentis vrendi ratione: atque an in pestiferis fe-
 bribus absolute conueniant, quæritur. Cuius quæstionis solu-
 tio e re ipsa, non ex euentu, qui est varius, petenda est. Res er-
 go hæc docet (si ingenne & libere agendum est) remedium
 nullum vere commendabile esse, aut a rationali medico tætan-
 dum, cuius opportunum tempus non est; cuiusque iocunda,
 cita, & tuta non est actio. Huius autem exustionis neque
 satis opportunum esse in febribus locum; neque actionem
 iocundam, celerem, aut tutam, facile dabit, qui rem expende-
 rit. Proponitur enim ad prauorum humorum uaporumve in
 principis

principes corporis partes, maxime autem in cerebrū & cor, impetum cohibendum; atque ad reuellendum. Atqui contra, illud inter omnes conuenit, reuulsionis esse locum, non, quum humor iam constitit; sed, quum primum mouere incipit. si quis ergo illi in febribus sit locus, non alius ille erit, quam ad earum initia. Et multorum tamen, qui vesicantia commendant, id moris est, vt non prius quam quum viget iam affectus, id remedij vsurpent, quo tempore, quum constitit iam humor, retrahi ad longinqua non potest; sed vel eo ipso in loco, in quo est, corrigi; vel, si nondum impactus sit, trahi ad propinqua debet, si quis propinquus & aptus sit locus, in quem excipi possit. Non esse autem cutem hoc loco aptam, ad quam capitis cordisque trahantur excrementa, intel- liget, qui in mentem reuocabit; per quot uenas tum magnas tum minores in extremarum partium cutem illa trahere oporteat. vt ne id etiam prætereamus, quum per tam multas partes prius quam educi possint, trahi illa oporteat, necessario totum corpus eorum vitio infici oportere. Quum igitur in statu, & quo maxime tempore vigent symptomata, in febribus importunus sit vesicantiū vsus, neque eo nomine quo reuellere possunt, alius esse illis locus possit, quam, quum primum moueri prauis humores ad principes partes incipiūt; an fortasse ad febrū initia huius ipsius remedij esse vsus potest? Referendum id in memoriam est, quod non vno loco Galenus docet, tum eorum quæ foras trahunt, tutum non esse vsu ante humorum concoctionem; tum febrī aduersissima esse quæcunque calfaciunt. non sunt autem ad febrū initia concocti humores: atque inter calfacientia præsidia primas partes tenent quæ excitant vesicas. Ita, vt, vno verbo concludere liceat, nullo tempore hoc, de quo agimus, remedium esse in febribus opportunum. Accedat nūc quod præterea proponebamus, neque iucundam, neque citam, neque tutam vesicantium esse operam, id quod probare leue est negotium. Asperior est horum vsus, quod dolores facit, sæpe vehementes; semper autem pertinaces diuturnosque ea in parte cui admouentur. Atqui febris magnitudinem atque acutiem dixerit aliquis, præsidia etiam molestissima admit-

26 De Igneis medicinae praesidijs.

tere; quando extremis morbis extrema praesidia, & malo no-
do malus cuneus debetur. Verum ubi mitiora praesidia non
desint, quae tantumdem praestent, & sine periculo praestent,
quis haec non praeferat? Ad id quidem quod in motu est a
capite & corde reuellendum, praeter frictions ac vincula,
cucurbitas; maxime cum scarificatu, atque etiam scarificatu
sine cucurbitis cruribus admoueri maximo cum fructu aper-
tum est. Quod verò iam quiescit, si nondum impactum sit,
(quod enim impactum est auertere non licet; & solam illic
ubi est, correctionem admittit) ad propinquum atque aptum
locum reuellere licet. propinqua autem sunt intestina, praeter
loci viciniã amplitudine ac communitate meatuum; nec
non & consuetudine qua totius corporis sordes solent exci-
pere, commodissima. sed tardius etiam vesicantium fructus
percipitur quam praecipitis morbi violentia postulet; si cu-
curbitularum, & scarificationis praesidium illis comparemus.
Quae autem pericula ex proposito remedij genere immineant,
nullus est qui non videat, si modo æquo animo rem perqui-
rat. Periculosissima profecto sunt quaecunque affectus vitio-
sos adaugent, vires autem imminuunt. Et talia generatim,
privatimque sunt, quibus ad excitandas vesicas utendi mos
est. Quae omnia quum insigniter calida sint, morbum, id est,
febrem exacuant, incensu ob putrium humorum copiam fa-
cilliman. Symptomata etiam, nempe vigilias, & corporis ia-
ctationem excitato dolore contumaci, si adsint, exacerbant;
si non adsint, inuehit. Doloris enim illius pertinacis causam
ascribere medicamentis, non vlceribus quae ex ustione consi-
stunt, non aliud est, quam negare sensum. vt enim si non se-
quantur ex eiusmodi medicamentis vlcera, nullus est illius
remedij fructus; ita si sequantur, tamdiu adesse dolorem ne-
cesse est (nisi quis sensum stupefactorijs praesidijs obscurer)
quamdiu persistant vlcera. Obest hoc idem remedij genus
morbificis causis, dum humores calore incendit, & dolore
simul cum spiritibus exagitat. imo etiam a venis in quibus
coquuntur, ad cutem trahit, ad quam saepe non nisi maxima
cum violentia trahuntur. Quod autem ex hoc ipso remedij
genere vires omnes grauem patiantur iacturam, non obscu-
rum

rum est: Si enim dolor & vigiliæ excitentur, absumptionem quoque spirituum insignem sequi necesse est, quæ maxime animalium vitaliumque facultatum robur attenuat: Sed & naturalibus vis infertur. Concoctrici quidem auerso ob dolorem ab humorum concoctione innato calore. Expultrici autem, tum quod si eo tempore vesicantia adhibeantur, quo crudi adhuc sunt humores, quum nondum noxij ab eo quod utile est, facta sit separatio, irritata ob vlcera dolorem natura, in vlcera partem quicquid obuium est, nullo delectu, vndique, & cum magna quidem totius corporis molestia trudit; tum quod si concoctionis tempore, & quando utilis ab inutili facta est separatio, adhibeantur, natura quæ per conuenientes regiones ad nares, alas, ventriculum, alium, vterum, vrinarios meatus, ad cutem etiam, sua solet deponere excrementa, ad partem eius instituto dissentaneam cum inexplicabili ægri damno auertitur. Et sic quidem generatim facultatibus omnibus noxium esse in febribus vesicantis remedij vsum apertum videtur. Quod si illi præterea cantharidas coniungi accidat; tum verò vulgatum est, quam in vrinarijs meatibus priuatim noxam inferant; quam frequenter in ducto vesicæ vlcere, ischuriam quoque; & nouam in meiendo dolorem inuehant, vigiliarum adiutorem & viribus aduersum. vt ne illud etiam prætereamus, factu vlcere, tum, si quidem aliquid sanguinis in vrinarium meatum incidat, vrinam suppressim; sin intra vesicam retineatur, condensari ac corrumpi, vnde & ægrum linqui animo, & cum paruis atque obscuris pulsibus pallefcere, ac deficere vires accidit, tum in vniuersum, vesicæ vlcus inter acutos morbos non postremum habere locum; ita, ut mortem quam celerrimam inferre aperte Aertæus pronunciet. At sedati præsidij opportunitas potest dolor, prætereaque hoc remedio inutilium humorum per vrinarios meatus excretio promouetur. Recte quidem, si tam prompte auferretur malum, vt prompte inductum est; atque si, quo tempore vesicantia admouentur, humorum concoctio separatioque inutilis ab eo quod est utile facta iam esset; sique naturæ consilij certus esset medicus; & illam pro indubitato haberet, per vrinarios meatus excretionem tentaturâ;

& tunc etiam propria alia ad urinas ciendas praesidia, eiusce-
 modi maleficij expertia, non essent longe aptiora. Et hactenus
 quidem aperuimus, cur propositum praesidium in febris
 non careat suspitione. Quid verò si id etiam veteres non
 probarint? Profecto & apertissime Paulus in ijs qui febre
 continua laborant, atque ijs qui habent vlcus: & in tabe ex vl-
 cere iecinoris Antyllas apud Oribasium, & in tabe ex vlcere
 pulmonis apud Aetium Archigenes: & in alia omni intima-
 rum partium exulceratione, quibuscum scilicet febris con-
 iungitur, exurentia interdicit, vt quorū qualitates viresq;
 dum intro forasque calor continenter mouetur, interi-
 ribus communicari necesse est: ita ut eorum acrimonia vlcera
 quoque interiora exacuatur. In febris igitur, praesertim
 verò in acutis cuiusuis generis, vitionem maxime formi-
 dolosam esse apparet. Quamobrem, & si illud verum est,
 medicamenta quae ad excitandas in cute vesicas veniunt,
 quia in attrahentium sunt genere, & humores & calo-
 rem foras euocare in eam partem cui admouentur; hoc ta-
 men etiam certum est, eorum qualitates non in circumstan-
 tes modo, sed etiam in distitas partes vicissim effundi, quod
 & ratio docet, qua, in sito calore ab exterioribus ad interiora
 cum spiritibus recurrente, caliditatis quoque exterioris in-
 temperantiam, non secus ac venenum, quod quis in talo, par-
 teue corporis alia a vipera exceperit, in intima penetralia per-
 tingere necesse est; & confirmat etiam sensus febrilis incen-
 dij, qui non raro ijs, vt diximus, quibus exurentia admouen-
 tur, accidere obseruatur: & plane docet vnguentorum, qui-
 bus aliquando illinitur corpus, vis intimis humoribus com-
 municata; ita ut & odorem, & colorem etiam nonnunquam
 (vt notat Auicennas) unguenti, quod fuit illitum, lotia refe-
 rant: id autem qui resina se aliqua inunxerit, ita esse experie-
 tur. Sed hoc etiam euidenter probant medicamenta, quae fo-
 ris vmbilico, partiue alij corporis admota, alium perturbat,
 & excretionem humorum promouent, purgatorij medicame-
 ti instar. Priuatim autem quod a causis calfacientibus foris
 admotis, in intimas etiam partes, ad cor vsque caliditas dif-
 fundatur, & febrem excitet; argumento sunt febres, quae ex
 capitis

capitis corporisve intolatione ortum habent. prætereaque ratio conuulsiones curandi, acribus medicamentis corpori illi-
tis ad excitandam febrem. Quæ dehinc ex Aetio atque alijs afferebantur, recte quidem, at Aetius in cardiaca affectio-
ne, aspergit tantum acria, ut cutem calefaciat, non illinit ut
exulceret. Neque Paulus in pestiferis febribus extremas par-
tes quæ algent, ita cal fieri iubet, ut exulcerentur, quæma. Imo
dum neque Auicennas. Quorsum enim tam molestam tenta-
re operam, si satisfacere frictions possunt? Ita, ut, quod dice-
bamus, actio, & ea maxime quæ fit per vesicantia nuncu-
pata, in febribus non immerito sit suspecta, quam neque fir-
mior ratio, neque veterum autoritas satis probat.

*Quomodo igneorum præsidiorum species singula recte in usum
ducantur. ac primum de picatione ac Dropace.*

Caput XXII.

Redeamus nunc ad institutum, & de singulis igneorum
præsidiorum speciebus, seu modis dicamus, quomodo
in usum ducantur, facta a picatione ac dropace principio.
Quod remedij genus licet sine corporis corruptione trahat;
(quo maxime ab alijs differt) quia tamen in eorum quæ vi ca-
loris trahunt, primo ordine est; & ipsius materia aliquando, ut
supra diximus, a fortioribus quoque igneis mutuo sumitur;
prætereaque præparatio est ad sinapitimum, & a sinapismo
etiam adhibetur ut affectionis reliquæ excindantur; non
erat prætermittendum. siue igitur attractionis utilis aut
inutilis rei, siue corrigendæ intemperiei frigidæ atque humi-
dæ gratia, dropace utendum sit; aliqua antequam ad mouea-
tur, alia dum ad mouetur, & alia post ad motionem, sunt obser-
uanda. Antequam ad moueatur, distinguere oportet, simplici
ne, an composito opus sit, id quod affectus cuius gratia in usum
ducitur, docebit. Simplicissimus est ex pice arida cum oleo
ualde modico liquata. Huic addi consueuerat, ad calefacien-
dum, piper, pyrethrum, semen rosmarini, bitumen; ad siccan-
dum, sulphur uiuum, sal, cinis sarmetorum: quemadmodum
etiam ad inutiles ex ima parte succos cum cutis laceratione
educen.

Paul. libr.

7. cap. 19.

Aet. li. 3.

ca. 80. O-

ribas. 10.

med. coll.

cap. 12.

30 De Igneis medicinae praesidijs.

educendos, adarce, & euphorbium, id quod tamen catheretici potius quam dropacis naturam subit. Ad veterum imitationem, qui uolet, admiscere poterit alia ex cathereticis, septicis & causticis. Parabatur ille etiam nunc crassus, nunc tenuis, pro uirium ratione, nempe ualentibus crassus, imbecillis tenuis. Qui enim crassior est, uolentius trahit. Hic parato ut decet dropace, mos quidem veteribus fuit pilos a parte cui admouendus esset, abradendi in imbecillis corporibus, ut auelli sine dolore posset; in robustioribus autem sine deratione, ut excitato, auellendo ipsum, dolore, maior in cute fieret attractio. exceptis tamen capite mento, & pube; quod earum partium dolor esset uehementior. est tamen id forte asperius, quam ut ab humaniore medico imperandum sit. proptereaque ne iniucunde fiat curatio, deradere pilos praestat, ubicunque dropace est opus. His derasis pars, effusa calida aqua, accedente etiam frictione ex aspero panno, nitro, sale, pipere, ac similibus calfacienda est. & quidem, si cito caleat & rubra fiat, non erit sine fructu remedium. sin minus, contra. Vbi iam rubet, medicamentum tenui corio inductum, calidum admouendum est, ut bene agglutinetur. paulo post autem priusquam refrigeretur, detrahendum. Fieri detractio consouerat, nunc sensim, nunc confertim. nempe confertim, ubi maiore attractione esset opus, ad remissum spiritum firmandum; atque ad superficiem reuocandum, propriorumque operum commune faciendum, ut ait Oribasius, sensim, ubi mediocris attractio satis esset. Sed confertim quidem auellere, est dolorem quoque excitare; quem, quia non nisi urgente re licet excitare, sensim potius agendum. imo uero, ut auellatur facilius, tepida aqua affundenda; aut etiam, si arctius haereat, oleum inter cutem & corium instellandum. post auulsionem primam, aliquando secundo & sepius agglutinabatur & detrahebatur, ad maiorem attractione in cutem. Quae dehinc furfurum decocto, aliove consimili, quod emplasticae facultatis non sit expers, abluenda est: ut quod in partem attractum est; non perspiret.

De sinapismis & leuibus, & qui vesicas excitant. quibus in affectibus, & partibus vsi sint veteres.

Caput. XXIII.

Sequuntur in flammantia quæ siue leuiora sint, quales sinapismi, siue fortiora, qualia uescantia, ut recte in usum ducantur, obseruanda itidem in ipsis sunt aliqua antequam inducantur, alia quum inducantur, alia post inductionem. Antequam inducantur, primum præter ea quæ generatim de affectibus, & affectis corporibus obseruanda in uisione proposuimus; statuendum est, quibus nam uitijs, & partibus conueniant. Id quod si ex ueteribus sumendum est, apertum maxime faciunt Oribasius, & Aetius ex Antyllo, atque Archigene, nec non & Paulus. Admouebatur sinapismus nunc parti ægræ, ad intemperiem, ad prauum succum, aut vitium aliud per eius ipsius partis cutem foras euocandum; nunc sanæ, ad auertendum ab ægra. ægræ autem in uitijs uniuersim diurnis, sed frigidis tantum, atque humidis quæ aliis præsidijs non cessissent. sic Galenus in curanda partium imbecillitate, id est, frigida intemperie, post multorum calefacientium medicamentorum usum, si nihil proficiant, commune remedium in sine se adhibiturum proficitur, nempe rubificationem, quæ vel per thapsiã, vel per sinapi, vel per aliquid tale excitatur. Et quidem ad venenatarum bestiarum morsus fuisse ait idem author, qui virus ore exsuggerent. huc autem pertinere & sinapi & cauterium. Et alibi ad hos ipsos affectus generatim calamintham, aliaque exurentia proponit. id quod de recentibus malis intelligere dubitandum non est. Sed hic præcipitis periculi habenda est ratio, ne labe quæ externam tantum partem occupat, in intimas partes, diffundatur. At quorum affectuum interiores sunt causæ, in ijs, nisi diurni sint, hoc remedij genus illum vsurpasse nõ animaduertimus. Sic reliqui in diurnis affectibus priuatim probant, quare in capitis dolore, vertigine, comitiali morbo, in sania, admouebant capiti. Imo & in difficulter audientibus huiusce generis collyrium ex linamento in aures immisere; quod

vbi

10. med.

coll. c. 13

lib. 4. ca.

181.

lib. 7. c. 19

7. meth.

cap. 4.

13. meth.

cap. 6.

7. di. simpl.

med.

lib. 4. c. 6.

lib. 4. c. 12

6. de sem
pl. me. fac.

i. de curat.

acut. ca. 2.

li. 1. c. 14.

li. 3. ca. 9.

li. 1. c. 15.

10. me. col

l. 13.

5. meth. c.

ultimo.

ubi pars collyrij sentum percepisset, extrahebat, parte dehinc mellicrato abluta. Admouere illi etiam thoraci in eius vitijs, in tussi & spiratione difficili. & renibus ac lumbis in frigidis eorum affectibus. Celsus vero in pleuritide quoque post scarificatas cucurbitulas, sinapismum proponit ex aceto, ut pustulas excitet, atque humores euocet. Vbi hoc sunt & in ventriculi malis, maxime autem in prostrata appetentia. Et in lienis tumoribus; & in affectibus intestinorum colicis: & in recti intestini resolutione, glande in ipsum eiusce modi collyrio illita immissa; ut in auribus. Et Celsus quoque in intestinorum leuitate, ad contenticis robur, sinapi & medicamento, quod humores eliceret, ventrem obduxit. Tandem que fuit huius praesidij vsus etiam in spine resolutione, in articularibus doloribus, in podagra quae non duxisset callum; & in ischiade, adquam, ut strenuum praesidium calamintha Galenus probat, alij lepidium, aut iberidem. Ita parti lesae inducere sinapismum veteres con sueuerunt. Quorum exemplo, & in diuturnis ex venerea lue tumoribus, & in pestiferis bubonibus, & in rabidi canis morsu aetas nostra eo aliquando utitur, non sine fructu. At vero non raro etiam sanae parti uni alterius gratia, ad deriuandum, aut reuellendum hoc remedium admorunt. Ita in lethargo Aretaeus pedes & genua acris illinit; & crura verberat urtica: Trallianus pedibus scilla inducit: & Paulus oleum cum nitro pipere, pyrethro, aut grano Cnidio. Non secus in epilepsia quoque Trallianus superiori pedis parti lepidium applicat ad exulcerandum: & Oribasius, si accessio non remittat, sinapismum. Sed in humorum quoque a capite ad thoracem defluxione, quomodo Galenus capiti exthapsia medicamentum admorit, manifestum est. Haec quum ita se habeant, si obseruentur & proposita veterum exempla, & praeterea quae paulo ante de ratione, tum ex affecto loco euacuandi, tum auertendi ad alias partes afferendam; quibus etiam in affectibus, & quibus partibus apponi hoc remedii genus debeat, apertum erit, id quod erat primum omnium illi statuendum, qui sinapismo uti uelit.

Speſtanda in uſu ſinapiſmi. parandi eius ratio.

Cap. l. XXIIII.

SED alia etiam, antequam eo utare, in ipſomet medica-
mento ſpeſtanda: nempe & diſtinguendum, an forte, an
imbecillum ſit ex uſu: & quo pacto id paretur, intelligendū.
Quum autem remedij magnitudo ex morbi magnitudine in-
dicetur, an forte, an imbecillum deligas, ex affectu ſumendū:
conſulendo tamen, ut in remedijs reliquis, an conſentiat &
affectum corpus, de quo ſupra actum eſt, & præterea aer, re-
gio, & anni tempus, quæ præſecto ſi calidiora ſint, non ſecus
atque aliud calidi remedij genus omne; id non facile admit-
tunt. De parandi autem medicamenti huius ratione hæc ha-
bemus ex veteribus. Imbecillior materia eſt caricarum &
ſinapi. Caricæ pingues in tepida aqua macerantur. tum die
poſtera vehementer expreſſæ cõteruntur ſeorſum, & in maſ-
ſam rediguntur. Succus expreſſioni reliquus, ſinapi ſeorſum
cõtuſo paulatim affunditur, ut in maſſam hoc quoque ve-
niat. utriuſque dehinc maſſa commiſcetur prout uſus requi-
rit. fiet enim ſinapiſmus fortior, ſi duas partes ſinapi vni cari-
carum addas. mediocris, ſi tertiæ parti ſinapi duæ caricarum
miſceantur, imbecillior ſi loco prædicti ſucci acetum ad ſi-
napi macerandum, & cogendum ſumatur; & adhuc minus
valens, ſi omiſſis caricis panis leuigatus commiſceatur ſina-
pi; & ruruſum minus, ſi pro ſinapi & caricis, fermento utaris.
Vbi vehementiori opus eſt remedio, columbarum Sylue-
ſtrium, aut caprarum ſimus, ſcilla, atque ex cathereticis, ſepti-
cis, cauſticisve aliqua ſolent commiſceri, de quibus ſupra.
Inter quæ ſunt etiam cantharides, quibus quum & parce &
raro admodum uſi ſint veteres; recentiores tamen nunquam
non utuntur ad ſinapiſmum, etiam in continuis febribus: unde
& illas non raro accidit harum veneno exacerbari, & æ-
grum urina ardore torqueri, ob vigilias tabeſcere, atque in
perniciem trahi. Quibus illis uti animus eſt, exemplum ha-
bet dropacis optimi & experti apud Aetium, quod medicamen-
ti genus ut ſupra quoque adnotauimus, & ante ſinapiſmum

*Orib. 10.
med. coll.
cap. 13.
Paul. li. 7.
cap. 19.*

*Lib. 3. ca.
180.*

34 De Igneis medicinae praesidijs.

ad eius praeparationem, & post ipsum ad affectionis reliquias excindendas vsurpabatur. Est autem valentis ad excitandas vesicas, & ad exulcerandum facultatis. Erat ille ex picis, cerae, colophoniae, singulorum, libra. nitri sesquiuncia, bituminis drachmis duabus, sulphuris viui sesquiuncia, piperis, euphorbij, adarces, singulorum vncia, catharidum drachmis tribus, olei ciprini vncijs quatuor, quam componendi rationem si expendas, quum medicamentum totum quaternas fere attingat libras, libra singula cantharidum minus quam drachmae vnius pondus habet. Qui eadem simplicia medicamenta. detracta pice, cera, colophonia, coegerit fermento, aut simplici ex sinapi & caricis sinapismo, validius ager; tanto autem validius, quanto horum minus addiderit; quae ad reliqua excipienda potius, quam ad agendum sumuntur.

Diligentia adhibenda dum admouetur sinapismus, & post admouitionem. Caput XXV.

PARATO medicamento, locus, cui adhibendum est, derasis pilis, frictione ex aspero panno, vel nitro calfaciendus. tum medicamentum linteolo eius latitudinis quae sit ex vsu, inductum admouendum est. Quod, quia non eodem in omnibus tempore, sed in alijs celerius, in alijs serius vires imprimit; saepe intueri locum oportet, & observare, an caro exacte rubeat. Si enim debito tempore nondum rubeat; ad eius vim adiuuandam, spongijs aqua calida imbutis, supra cataplasma fouendus est locus. Quod si quantum satis est iam inflammata sit pars; aut si etiam vesicae inductae sint; vel si immoderate agat, ita vt vel vrendo locum denigret, vel nimium patiat dolorem, vel partem iam exulcerarit; detracto cataplasmate fouendus est locus aqua tepida; aut lapsus lanae cum rosaceo imponendus; aut rosaceum ipsum oleum affundendum. butyrum brassicae folio illitum etiam commode ad mouetur. vesicae vero si sponte non rumpantur, aperiuntur. Ulceri dehinc ceratum rosaceum cum cerula apponendum, ad cicatricem vsque, nisi forte ad magis euacuandum, aut auerrendum, protrahere, exacerbareque, & vlcus & dolorem expediat.

expediat. id quod si agendum sit, in exulcerata iam parte sinapismus simplex repetitus satis erit. Et hæc quidem generatim. Priuatim autem, si cantharides vsu venerint, quibus mos est vesicam maximo cum dolore vsque ad sanguinis mistum exulcerare, quam celerrimis præsidijs occurrendum: eiusmodi scilicet, quibus ad cantharidum haustum vsos esse veteres constat. infuso quidem primum in sedem clysteri exprisanae, aut halicæ, aut orizæ, aut maluæ, aut seminis lini succo cum anserino, aut gallinaceo adipe. ob viciniam enim recti intestini cum vesica, conferre potest, mitigato illius ardore & calore. Sumat etiam æger Pauli medicamentum ex feminum cucumeris purgatorum, granis triginta, nucleis pineis duodecim, aut (quod mitius est) maluæ semine pari mensura, amygdalarum amararum dealbatarum drachma dimidia, croco quantum ad colorem sit satis. hoc ille ieiunio quotidie dat cum lacte, aut vino proteropo. licebit, si febris adsit, dare ex sero, aut decocto stillaritiaue aqua maluarum. Sunt etiam pastilli ex vesicario solano, quos Actuarius febricitibus exhibet cum diluto vino, non febricitibus cum vino dulci & sapa. Sed habent illi vim stuporem inducendi insignem, vt propterea eorum loco malim eius ipsius solani fructus decem cum recentioribus offerre, ex sero. est enim vlceris a cantharidibus inducti antidotus, vt docti viri testantur.

Sed & paruo clysteri in stillare in vesicam a quam multisam aquosissimam, aut lac cum paucissimo melle, aut cum cucumeris semine, aut oui albumen cum pompholyge conferet, & ex vulgari more succum ex psillij semine, a qua lactucæ macerato expressum.

Proderit etiam si ad ani & seroti in-ercapedinem, atque ad pectinem ceratum ex oesypo loto. butyro, adipe anserino, ac styrace admoueat.

Lib. 3. ca.

45.

5. metho.

med. ca. 5.

*An sinapi aceto maceratum imbecillio-
rem vim habeat quam ma-
ceratum aqua: quæ Cantharidum partes in sinapismo
sumenda. Caput XXVI.*

ET hæc quidem de sinapismo. In quibus dignum illud
est animadversione, quod sinapi ex aceto imbecillio-
rem vim habere, quam ex aqua, diximus. id quod & veteres.
Hoc tamen a ratione videtur alienum si aceti acrimonia spe-
ctemus. Si enim acetum astringentis esse facultatis dicas, pro-
pterea que cutem densare, prohibereque ne sinapi altius im-
mergatur; Contra est, quod ipsum tenuissimarum esse par-
tium observatur, ac propterea & penetrandi vim habere in-
se, & communicare cæteris, quibus commiscetur, quare ner-
uis, noxium ob id Galenus esse ait, quod frigidum quum sit,
frigiditatem eam ob sui tenuitatem ita illis communicat, ut
ne minimum quidem ex illis illæsum maneat. Verum acetum
mixtæ esse substantiæ, frigida pariter & calida, licet magis
frigida, in tertio autem ordine completo disiccantis, aperte
Galenus docet. Est etiam, ut diximus, tenuium partium, ita
ut in profundissimam corporis cui admoventur, substantiam
immergatur. Inestque illi præterea vis astringendi insignis,
ob quam ad sanguinis eruptiones, fluxiones, inflammationes,
aliaque eiuscemodi vitia commendatur a Dioscoride. Cur
ergo, & astringenti facultate, & frigiditate, meatus, etiam in-
timos, ab illo densari; simul verò a siccitate quoque, parti-
bus, in quas infertur, siccitatem induci non putemus? Vbi
igitur cum sinapi commiscetur; dum præter frigiditatem, ob
quam ipsius sinapi vim reprimat, siccitatem quoque, & astringen-
tionem partibus, in quas infertur, inducit; ita illius quoque
attractionem humorum ad cutem retundit. Non ita aqua,
quæ, licet aceto frigidior, non astringit tamen, neque exsic-
cat. Est hic aliud de cantharidum usu non prætereundum.
Quum insit illis venenata, vesicæque inimica facultas, siue
intus sumantur, siue foris admoventur; quæcumque illa sit
pars, cui admoventur, quum contra etiam illis ipsis vim ines-
se sui ipsarum maleficij corrigendi auctores consentiant; di-
gnum

3. de rat.
vict. mac.
Hip. 39.

8. di simp
med. fac.

Lib. 5. ca.
13.

gnum scitu esset, cuiam parti benefica insit facultas, & cui malefica. quo hac relictâ, quod medici munus est, eas in usum ducere liceat, sic ut inuenimus, non etiam noceamus. Cæterû statuerè hoc difficile quidem est. Quum enim hydropi cantharides abiectis capite, alis, & pedibus, alicubi proponat. Hippocrates; & Galenus quoque ex Pamphylo, & Apio Phascio, ventres in medicamentis ad mentagram, sicuti & Aetius passim sumat; Idem tamen Galenus notat, qui uentrem solum, imo & qui reliqua excepto ventre dedit hydropico homini; eum duxisse ad interitum. ita ut ex his, nihil non maleficum inesse ipsis uideatur. Plinius, quem ueterum scriptorum nullus latuit, in qua parte uenenum sit; non constare ait inter authores, quum alij in pedibus & capite esse existimarent; alij negarint. conuenire nihilominus, earum pennas auxiliari, alis igitur salutiferam uim tribuit. Galenus tamen & alas & pedes quoque cum melle ijs, qui illas sumpsere, scribit esse antidotum. Et in libris de simpl. medicam. se ipsum totas cantharides sumere plane asseuerat. Ex his igitur, in huius medicamenti usu, etiam quum foris applicatur, totas cantharides a sumi tutius ego quoque existimarim, quam solum uentre in eum Hippocrate, Aetio, atq; alijs. Sic enim minus uescam lædi, experientia quoque docet.

4. de rat. uict. in ac.

122.

5. de cõp. med. per loca. ca. 8.

Li. 29. nat. hist. ca. 4.

2. de antid. cap. 7.

Lib. 11.

De cathetericis, septicis, causticis. Qua in causticorum usu obseruanda. An ijs, quæ actu; an ijs, quæ potestate urunt, uti præstet. Caput XXVII.

DE cathetericorum, & septicorum usu eodem nunc esset ordine dicendum. Verum, hæc quidem, ut ad ulcera, tumoresque curandos ueniunt, nihil ad hunc locum pertinent. ut autem ignea sunt medicamenta, quibus ad foras cum partis corruptione attrahendum utimur, de quibus nunc institutus est sermo; aut cum sinapismis foribus commiscentur, & eadem in illis atque his utendi est ratio: aut ad cauteria usurpantur. de quorum materia egimus, de usu nunc agendum. Vbi igitur cauterijs uti in animum sibi induxerit medicus, sunt illi præter affectuum, præterque affecti corpo-

ris

ris itatum, de quibus supra, aliqua ante vltionem, alia vrendo, aliqua postquam vlderit, animaduertenda. Ante vltionem primum, an actu, an potestate exurente materia, agendum. Licet enim siue hac, siue illa vtare, vnum vtriusque sit opus, exustio & partis exustae corruptio; non tamen vtriusque pars, vel agendi modus, vel fructus. Vtra igitur vtendum sit, ex re ipsa maxime sumendum consilium est. Quaecunque ergo actu exurunt, ea generatim vt promptius, ita etiam violentius repentina ignis efficacia vrunt; cum subito doloris sensu, qui tamen sensim mitescit. contra, quae potestate, & serius, & initio imbecillius sensum mouent; sed paulo post in exusta parte ad aliquot horas dolorem adaugent. Illa etiam so- lam cui admouentur, partem exulcerant; haec saepe in proximas diffunduntur. Illa partes, quae exustam ambiunt, validissime exsiccando, a putredine vendicant; caloremque earum insitum non parum adiuuant; haec, praesertim septica, putredinem parti inducunt, quae non est sine innati caloris vicinarum quoque loco vsto partium, corruptione. Itaque in tam dissimili horum actione apertum illud est, si partis, quam vrimus, quæramus robur, posteriora, quae insito calori vim faciunt, minus esse ad hoc opportuna. Id verò etiam quotidianus vsus plane docet. quando in corpore aut senili, aut prauis humoribus pleno; & in parte malis succis turgida, veluti in crure quod oedemate laboret, vltio medicamento facta gangrænas prompte facit; quas ferramentum actu, ignitum non facit. Quare in partibus validi caloris expertibus, superfluo autem humore oppletis, quae putrefactioni obnoxiae sunt, siue natura, siue morbi vi tales sint, medicamento vrere minus tutum est. Sed etiam in partibus, quarum aliqua sit dignitas, vsusque corpori praecipuus, actu ignitis agere tutius est, vt in capite. Quod si de partis illius quae vrenda est, minuendo robore, minus sollicitus esse medicus possit, id quod maxime accidit, quum sanam partem vnam ad aegrae alterius commodum exulcerare instituit, tunc profecto est, vt ijs potius vtatur quae partem imbecillam, propterea; ad inutiles succos excipiendos aptiorem reddant, quae alijs: nisi tamen aliud sit quod impediât. Impedimento au-

tem esse potest partis, quæ vrenda est, dignitas & nobilitas. Cuius causa, & si in caput reuellere aliquando oportet humorem, qui in thorace morbum facit; prohibet tamen capitis dignitas, ne medicamento vlcus fiat. ob id verò maxime, quod, quum ipsummet caput superflui eius humoris causa sit, quem e thorace studemus reuellere, ipsum quoque confirmandum est, vt minus excrementi in eo gignatur, minusque ab eo irruat in thoracem. Contra autem, si a capite ad brachium, aut femora, aut crura trahendum sit; tum medicamentum, quo nomine partem magis, quam igniti remedij vsus potest reddere imbecillam, eo etiam maiorem quam illud afferre fructum potest. Et hoc quidem dicitur ratio, & confirmat experimentum, quanquam hæc lex pro ægri, atque etiam pro medici nutu frequenter peruertitur. Qui enim mollioris sunt animi, ij longe facilius admiserint quæ latenter, quam quæ aperte vrunt. Et medici quoque ætatis nostræ, plerumque eo, quod actu, quam eo, quod potestate vrunt, ob promptitudinē operæ, promiscue vtuntur, minori quidem etiam damno, quam si contra in eius quod actu agit, locum, substituerent id, quod potestate, quando, vt dicebamus, ex posteriori maius, quam ex priori periculum impendet.

Cauticorum quæ actu vrunt delectus. Hippocratici præcepti ratio inquiritur. Caput XXVIII.

QUum ergo de remedio exurente, hæc ante omnia generalitatem spectanda sint; est et speciatim de eorum delectu habenda ratio. Primūq; de ijs quæ actu vrunt, vt dicamus, sicuti quod primū omnium ad urendum in morbis medicos aliquando promouit, non aliud fuisse probabile est, quam & superflua alicuius rei de ægro corpore detrahendæ necessitatem; & quotidianam obseruationem, qua absumi omnia igne videntur; ita ad quærendum aptum vrendo instrumentum impulsos, dum ex solida duraque materia, quæ in opera non deficeret, constare illud oportere cogitarent, ferrum, ad secandum atque ad humanos vsus alios vulgarissimam materiam primum vsurpasse: figura illi inducta, qualem esse ad agendum agnoscerent

agnoscerent opportunam. crescente arte, ad hunc ipsum usum, & æs, & a gentū, atque etiam aurum experiri alijs placuit. Alij quoduis obuium, si modo ignitum sit, exurere cutem obseruantes, & plantarum partes in quibus paululum seruari ignis possit, traduxere in usum, quales gentiana, aristolochia, & centaurea radices, quales etiam arborum quarundam fungi; & ad liquida quoque transiere, quale oleum feruens, & liquefactum plumbum: imo etiam ad leuissima alia, quae tamen excitare uescas, aut si non exurere, strenue tamen calfacere cutem apta essent, quale linum crudum, & lana: ita singuli quid tale deligentes, aut quod casu ad manus esset, aut etiam quod praeter unctionem, aliquod aliud afferre commodum posse, ratio indicarit. Quum multiplex igitur eorum sit materia, quibus ad exurendum, atque ad inducendas crustas medicus utitur; quaecunque causa veteres in eorum cognitionem duxerit; cui recte illis utendi studium est, is spectare debet, an praeter eam, quae primo quaeritur, partis unctionem, affectus, cuius gratia urimus, aut pars quaerenda est, aliud aliquid postulet, quod id, quo usuri sumus ad vrendum, natura sua possit polliceri. Et si enim rerum quae vruntur, cum substantiae corruptione formam quoque ac materiam, & quicquid uirium illas sequitur, una corrupti necesse est; non tamen ita earum facultas omnis perit, quin a corruptione, uirium priorum aliquid in misti eius corporis reliquijs aliquantum temporis supersit. scilicet, usque adeo accurata rerum quae a natura fiunt, mistio est, ut non modo eorum, quae semel illis contigere, uestigia, quasi mistione, postquam etiam corrupta sunt, adhuc conseruata, non tam prompte amittant: imo uerò, ut, quasi solutis uinculis, quibus antea coercerentur, maiores post corruptionem, quam antequam corrumperentur, vires ostendent. Sic rerum a nobis tritura, contusione, coctione, uestione, varijsque alijs modis a naturali statu immutatarum transire vires in succum, liquoremue alium, aut puluerem, cinerem, aut salem qui ex earum cinere elicitur, quotidie obseruamus; quas, res ipsae integrae corpori admotae, vel etiam deuoratae non ostenderent. Non temere igitur materia quauis ad vrendum apta uti medicus, debet:

debet: Sed ea, quæ præter vitionem commoda talia afferat, qualia postulat tum pars quæ vritur, tum affectus. Quæ nam autem commoda adferre possit quicquid illud sit, cuius ad vrendum est vsus, illius natura docet. Ferrum, quia frigida & suæ naturæ est, vt metalla omnia, simul autem astrictio- nis alicuius particeps, in genere exurentium, præter vitione, coercere potest putredinem, calore igneo neque insigni re- licto in parte, neque in vicinas partes diffuso. Aurum, quod temperatæ naturæ esse inter metalla censetur, temperiem in parte vsta relinquere creditur. Est autem in ea quoque apud omnes æstimatione, vt quemadmodum ipsum inter cætera perstat incorruptum, ita a corruptione alia quoque seruet. Illius autem laudes sunt, in parte quæ illo vritur, non excita- ri bullas; vlceraque ex eius vstione celerius & tutius ad ci- caricem perduci. Argentum præter communem cum alijs metallis temperiem, id habet priuati, quod astrictio- nis, aut nullius, aut exiguæ admodum particeps est; quam maximam Aes præfert. Hoc verò etiam & valide absterget; & eo a na- tura priuilegio insignitum est (quod veteres adnotarunt) vt quæ vulnera illo infliguntur, minus doleant, & celerius sa- nescant. Si in parte igitur, quam vrere oportet, insignis ali- cuius putredinis periculum sit; vt minimæ ad coercendum putredinem inter metalla vtilitatis argentum est, ita maxime æs non contemnendæ autem aurum & ferrum. Si temperiæ partis seruare maxime opus sit (quod in nobilissimis parti- bus præcipuæ quaritur, vt in oculis) vti auro præstat. Si cito sanescere vlcus oporteat, deligere æs licebit. Cæterum, quan- quam hæc dicat ratio, ferri tamen præcipuus nunc est, & a- lias semper fuit vsus: non ob eius tantum naturam; sed ob eâ, qua in omnem figuram ducitur, facilitatem; ob vilitatemque atque (quod maximi refert) quia an bene ignitum sit, cu- iusque est vt noscat; quod de auro ac cæteris metallis, non est nisi ijs qui quotidie illa tractant, facile. Quum priuatæ sint metallicorum cauterum vires, quas diximus; vniuersim qui- dem, quia duriori firmiorique constant materia, ubi altius sit exurendum, illis vti expedit. at si superficiem tantum satis sit attingere; quanquam etiam ex ferro parantur ad hoc apti

cauteret, vt dicimus, non importune tamen ex plantis quoq;, imo & ex animalibus, apta ad vrendum materia in vsum ducetur. In quorum vfu, ubi præter exulcerationem, intemperiei alicuius correctionem quærimus (quod & in superioribus) diligentioris erit medici ea quæ contrario sunt temperamento, deligere: sic, vt, nunc aristolochiam, gentianam, centaurium; nunc myrtheum, aut vitigineum bacillum, nunc fungum, caprillum stercus, linum, aut etiam feruens oleum, aut aquam, aut quid aliud simile, non vt fors fert, sed cum delectu aliquo, non parua cum artis laude & fructu, liceat in vsum traducere, quanquam neque hoc veteres vsque adeo religiose obseruasse asseueramus; neque recentioribus vt perpetuam legem imponimus. Sane autem, ad materiæ vrendo opportunæ delectum, partem etiam vrendam spectare diximus oportere. Huius rei non vno loco apud Hippocratem obseruatio est, aperte, in carnis partibus ferro; in ossibus & nervosis fungo; ubi autem in coxendice dolor est, lino crudo vrendum esse proponentem. Cuius præcepti si quærenda sit ratio, An carnes, quia humidæ sunt, valentiorum ignem sustinent, qualis ex ignito ferro; osseas & nerveas, nili mitius tractetur, exsiccari nimis, a propriaque constitutione decedere periculum est? At ea est corporis partium generatim natura, ut similia similibus minus quam dissimilibus lædantur: & quo sicciore partes sunt, siccius; quo humidiores, minus siccum admittant præsidium. An ergo, quia nervosæ partes, & membrana, qua osseæ proxime uestiuntur, acrioris sunt sensus quam carnes; propterea illæ his minus violentam vstionem ferunt: uiolentius autem ferrum urit densissima consistans materia, quam fungus, qui ea est laxissima? Sed quorsum linum crudum proponit? An satillius est, in superficie calorem vesicasque aliquas excitare, ut per eas tenuior, quæ dolorem facit, materia expurgetur, sine periculo, ne in laborantem partem aliunde humor attrahatur?

Lib. de internis affectionibus.

De cauterum ferreorum varietate, & usu.

Cap. XXIIX.

HIS ita de actu exurentium cauterum materia propo-
tis, quando ætate nostra præcipuus inter hæc ferri est
usus; quod varijs efformatum modis usurpatur; par est ut va-
rietatem hanc, & quid eius fuerit causa, explicemus. Sūt cau-
teres alij tenues, alij crassi: alij acuti alij obtusi. Forma illis
est, alijs oliuæ seu dactyli nucleo similis: alijs lenticularis:
alijs clavi capiti similis: alij gladium referunt; alij gamma,
græcam litteram; alij acutum stylum: rotundi alij, circuli in
modum; alij quadrati: alij alias habent figuras, in quibus mul-
tis proponendis quum Albucasis labore; nobis tamen po-
tius quid velit, diuinandum reliquit, quam intelligendum.
Quod tantæ varietatis causa fuerit exurendi loci varietas, nõ
obscurum puto. Crassior aliquando est cutis, qualis in capite,
quam si altius perurere oporteat, ferramento est opus, quod
exceptam ignis vim ad perfectum vsque opus retineat. Sicuti
autem quæ imbecillioris materiæ sunt, quales radices, fungi,
linum, apta non sunt ad hanc operam, sed denso solidoque
cautere est opus, qualis ex ferro, ita crassiorem etiam ipsum
esse oportet. paratur ergo nuclei oliuæ aut dactyli in modum:
sic concepta in eo vis ignis ad cranei vsque vstionem seruatur,
quæ non seruaretur in tenuiori. Contra autem superficialia
nonnunquam vstione est opus. Hæc verò tenui melius quam
crasso fiet ferramento, quare & lenticulare & clauatum deli-
gitur. Sedet etiam aliquando altius vitium in parte, quæ v-
renda est, hic sedem mali acutum ferrum attinget, non attinget
obtusum. Aliquando cuti, quam vrere animus est, neruus,
vena, arteria, aut eximij sensus membrana subest, quas vrere
non licet, obtuso agendum est, ne violentur. Sit pars vrenda
gibbæ figuræ, accommodatum illi ferramentum erit quod a
gamma nomen habet. Sit curuæ, idem gammatum conuer-
sum erit ex vsu. Opus est in vsta parte cavitatem seruare, o-
liuare deligitur: cuius ima pars in leuem acutiem desinens fo-
ramen relinquit, ad excipiendam pilam aptum. Spatium exu-

44 De Igneis medicinæ præsidij.

rendæ partis amplum est, respondere amplitudini illi ferramentum debet: esseque circularis, quadratæ, triangularis, alteriusque figuræ, ut apposite, atque vna aggressionis opus perficiatur; quod alioqui inepto instrumento neque commode, neque sine maiori ægri molestia vnquam fiat, quod tale est, deterret sæpe ægrum, vt eo non liceat vti. tunc paruis & crebris cauteribus, quasi stylis, aut linearibus tentari vstio solet; fructu fere non dissimili. Quare huius quoque rei gratia, sicuti, ubi simplicem crustam inducere oportet, simplex ferramentum deligitur, ita, vbi pluribus crustis opus est, paratur id multiplex. duobus, tribus, pluribusue quodammodo dentibus, aut etiam cuspidibus exertis; vno vt aggressu, fiat exustio. tale ad traiciendam duobus tribusue locis cutem, tridentis in modum veteres excogitarunt. At verò ex vsu aliquando est vlcus in cute diutius trahere. Sed neque linamentum, neque pila (qua nunc uti moris est) neque aliud quidpiam commode contineri in eo potest, quod coalitum impediatur. posteriores per traiectam cutem laqueum, nunc ex equorum fetis, nunc sericum, nunc gossipinum, nunc etiam auream anulum inducere, non irrita opera. nam alieno illo corpore, præfertimque vbi crebro moueatur, apertum vlcus seruatur. Nonnunquam, vbi inurere partem aliquam oportet, periculum est, ne altius ferrum penetret, quam oporteat, tunc constructitur cum repagulo, quo, ne vltra quam velis penetret. cauterium ad nodulum vocant. Aliquando suspicio est, ne vicina latera, quæ vrere non oportet, violentur. munire tunc illa necesse est. huius rei gratia & alia quidem cogitarunt. Sed maxime fistulâ καυστήρα vocat Hippocrates, Galenus καυστήρα per quam frigidam ad locum, in quem oportet, immiti candens ferrum possit sine laterum offensa. Huius etiam opera alias utilis est, vbi exsiccatione tantum, non etiam calefactione opus est; sicuti in hæmorrhoidibus: quas immisso per fistulam candente ferro, exsiccari docet Hippocrates. Quom tanta igitur sit ferreorum cauterum varietas, qui illis sit vsurus, accomodatum quidem vrendæ parti instrumentum habere oportet, de qua re superiorum quos imitari licebit, diligentia suo loco explicabitur. Sed præterea aliud etiam obseruare,

Lib. de hæmorrhoidibus.

feruare, nempe vt ferramentum opportune sicuti res postulat calefiat, opportune autem dicimus, quia neque materia omnis ad calefaciendum apta est: neque par semper calefactio requiritur. Quod de materia proponimus, facile assequetur, qui rebus quæ igne calefcunt, præter calorem, alias quoque qualitates quæ in ignis materia sunt, communicari intellexerit. Sic carnes ex venenatæ materiæ igne elixas, & panem in furno venenatis lignis calefacto coctum, venenum concepisse, aliquando obseruatum est. Si quod ergo vitium materiæ insit, quæ ignis accenditur, id ferramento quoque communicari probabile est. Quare & ex balneo mulierem animo exolutam, quod igne ex vitiatæ lignis succenso incaluerat, refert Galenus. & parti, quæ myrtheo ligno vstalato, aut etiam ferro ipso exurit, præter calorem, astrictiois, quoque aliquid accedere communis opinio est. Eadem ergo ratione incandeatne ex duræ aut mollis materiæ carbonibus ferramentum, non parum intererit, nempe, quemadmodum calorem ex accensis duræ materiæ lignis prodire acriorè quotidiano experimento percipimus; ita etiam, ex cauteri, qui simili materia incanduerit, partem, quæ vritur, incallescere magis, quam si ex molli igniatur, arbitrandum est. Quod autem non pari semper calore ignitum esse ferramentum oportere, admonuimus, apertam habet rationem, non enim ad imam atque ad summam cutem par caliditas eodem ignito ferro pertingit, propterea, quum altius vrendum est, magis etiam calfaciendum ferrum est. calfactionis autem summæ indicium est, quum scintillæ ac quasi radij ab eo exeunt.

De Causticis potestate, de eorum varietate atque vsu.

Caput XXX.

ACCEDAMVS nunc ad ea quæ potestate exurunt, quæ, quum duci in vsum soleant aliquando simplicia, ex ijs quæ vesicantia vocant ex caterethicis, septicis, causticis, de quibus diximus, frequentius autem composita, qui his recte vti volent, ipsorum naturam exacte nosse oportet. Sunt enim non vnus omnia naturæ atque efficaciam, sed pro substantiæ,

stantia, & qualitate varietate, multiplicis. Spectanda autem est in substantia, tum vniuersim essentia, tum substantiae modus. Essentiae quidem varietas, quia alia hominis naturae prorsum ac semper inimica sunt, vt auripigmentum, dryopteris, pityocampe, chryfocolla, aconitum, & reliqua fere omnia: aliqua aliquando amica, vt nasturtium, calamintha, sinapi, caepe, alium, porrum. quae etiam cum alimentis ueniunt, ita ut aliquando superentur a natura; quum reliquorum semper mos sit naturam superandi. Substantiae autem modus crassitiem ac tenuitatem spectat. *Tenuia intelligimus, quae minus terrene, minusque solidae sunt substantiae, Tales sunt exurentium omnium succi. aqua ardens, qua aurum ab argento separatur. aqua ex calce uiua & cineribus. aqua Albucalis ex nitro & calce. oleum calcanthi, sal, qui ex praedictis omnibus elicitor. Crassiora sunt quae solida admouentur. sic aliquando integrum allij nucleum, piperis granum, aut pyrethri, calcanthi, smyridis, auripigmenti, chryfocolle, frustulum, parti alicui admodum exulcerasse, atque vsisse obseruauimus. Inter medicamentum tenue ac crassum aliquod etiam est mediae consistentiae. Differunt proposita medicamenta qualitatibus quoque & primis, & secundis. Primis quidem, quia alia tertio ordine calida sunt, alia quarto. prioris ordinis sunt explantis ditamnus, ranunculus, calamintha, Kali, thapsia. radices peucedani, ellebori, scilla, allium. sunt & succi, pix, ammoniacum, opopanax. sunt etiam ex terra, aliqua, vt nitrum: & ex animalibus, vt cantharidum corpora, columbarum, & caprarum simus. posterioris ordinis sunt erysimonitimalus, lepidium, clematis vna quam flammulam vocant, & altera, quam vitem albam. pyrethrum. semina nasturtij, sinapi, piper, anacardus. euphorbium, titymali & ficus lac. cineres catheticorum ac septicorum, calx; auripigmentum, chryfocolla, sal ammoniacum, calcanthum, calcis, smyris, stimmi. In secundis autem qualitatibus, apertum illud est, quomodo calcatho, chalcitidi, alumini, sali ammoniaco, chryfocollae, astringendi uis insit, quae non inest calci atque alijs plerisque. Vt igitur ita dissimilia sunt medicamenta huiusmodi in natura; ita & in agendi modo. quare, sicuti quae calidiora,*

diora, tenuiora, atque expertia attractionis, ea tum celerius, tum altius ac latius vires suas explicant; tum etiam dum in partis, cui admouentur, substantiam facile subeunt, minori & breuiori cum dolore agunt; ita quæ diuersa ab his sunt natura, diuerso agunt modo. In horum igitur medicamentorum vtu, habenda priusquam in vsum ducantur, ratio & substantiæ & qualitarum, quam diximus: sed præterea etiã partium, quæ sunt urendæ. Quæ partes enim crassiori densiorique sunt substantia, tenuiori ac valentiori egent medicamento, contra, quæ tenuiori ac minus denso corpore, illis leuia minusque valida, sunt satis. Est profundior pars aliquando vrenda, at intermedie aut vicinæ partes aliquæ sunt, quas vrere non oportet: vt in faucium affectibus, non raro muniendæ illæ sunt coto, lana, aut linamentis quo citra ipsarum iniuriam sola illa, quæ vri debet, tangatur, aliquando etiã per ferreã aut alterius materiæ fistulam infertur in quam partem oportet, medicamentum; tum liquidum, quale oleum sulphuris, aut calcæthi, aque, aut sales propositi humido aere dissoluti. Quorum gutta vna aut altera instillata prompte exurit; tum etiam solidum artificiose immisum, sic calcanthum in olla vi ignis liquefactum aliqui arundinacea fistula excipiunt; quod vbi frigore concreuit, tunc abscessa in extremo altero fistulæ particula vt ab ea calcanthum liberetur, fistulam tanquam stylum demittunt, vt eo extremo, quod ab arundine nudum est, vrendus locus tangatur. vritur enim non multo post tempore.

Aliqua ante vrsionem per cantherium, & dum vritur obseruanda.

Caput XXXI.

VBI de vrēdi modo, deque vrenda parte constitutū fuerit; aliqua sunt etiam alia, priusquam vras, obseruanda. Namque, quum vrsio dolorem sepe molestiorem pariat; qui molliori animo, ac magis exquisito sunt sensu, dolore aliquando inferiores sunt, ita vt animo deficient; frequenter etiam inflammatio succedit. In promptu igitur & odoramenta naribus admouenda, & alia adesse oportet, quibus animi defectui

defectui consulitur. praetereaque danda opera est, ne dolor inflammatiove accidat. Si ergo ignita materia usus sis, frigidioris aquae illusione, vel spongia ea imbuta, uel niue aut glacie, refrigeranda est pars tumorenda, tum circumlita. Huic vero etiam astringentia medicamenta illiniri possunt, sic a frigiditate insigni & hebes sensus redditur, ut non percipiatur dolor; & crassescunt humores, & ab astrictione simul desantur viae, ut minus confertim in usam partem aliquid fluat. At si agendum sit medicamento, mos est arcere dolorem, opij, quae illi addatur, portiuncula, dum hoc enim partis calor extinguitur, sensus quoque tollitur. Est & aliud praecauendum, ut ne latius, quam opus sit, vras. Fit illud, quum ferramento agendum est, si aegro minister vnus atque alter adset, vrendam partem firme tenens, ne moueri loco vlllo modo possit. praetereaque si vrendae parti metallica lamina crassior, ita perforata, ut excipiat ferramentum, admoueatur. Quum autem medicamento, siquidem id crassius sit, apposito cuti cerato, quod illic vbi vrendum est, foramen habeat, quo medicamentum excipiat. sin autem liquidius, vel eo illinitur ferrei, aut lignei styli apex, quo exurendus locus semel atque iterum tangitur, premendoque ita tractatur, ut partis color mutetur. vel etiam in cutem immittitur per fistulam firme compressam ne latius fluat: partibus etiamnum circum sitis cerato, aut re alia, bene obiectis munitisque, ne si forte elabi in eas aliquid medicamenti contingat, laedantur. His itaque paratis, ad vrendum accedere iam licet. id quod vbi ferro vtendum est, & celerrime, & audacter, & firma manu faciendum, ne aberrer; ne minus aut magis quam opus sit, aut vbi opus non sit, vras. X. in quo

Crusta quae ab ustione relinquitur detrahenda modi varij, & eorum ratio. Caput XXXII.

EX ustione crusta relinquitur. quae, & quia aliquid est praeter naturam, & quia perspiratum, humorisve euacuationem, cuius gratia vrendum fuit, prohibet; auferenda est; haeret autem illa aetius subiectae parti. neque detrahi potest, nisi

est, nisi earum fibrarum, per quas veluti radices adnectuntur, vel abscissione, vel corruptione. si æger si mo sit animo, pars vero sensu non profus insigni, abscindi statim forfice vel scalpello potest. sin contra, danda opera est, ut radices illæ quibus cohæret, sensim corrumpantur. vbi enim corruptæ sunt, vel sponte sua abscidit, vel leui negotio forcipe aut medicamento detergente auellitur. fit autem corruptio, tum ijs quæ pus mouent, quæ maturantia uocantur, tum etiam cathe-
reticis, septicis, & causticis, de quibus supra. Vtrisque qui medicinam rectè faciunt vti solent. nempe & porrum Hippocrates statim admonet, alij cepam: quæ causticæ sunt naturæ. Galenus aristolochiam, iridem, & similes potestatis alia. alij butyrum, adipem atque id genus alia adhibent, quæ pus excitant. Cæterum mirari hic aliquis possit, si crustæ detrahendæ studium esse debet, atque si non nisi propositis modis, ut detrahi possit, efficitur; quorsum alij dissimilis prorsus facultatis medicamenta alia admovent: nempe vel oui albumen, vel oxalidis, plâraginis, & similibus succum: alij etiam salem frigido loco, in aquam conuersum? Verum ira habet res. Vtioni aliquando succedit dolor; aliquando inflammatio; cuius indicium affert vstæ partis ac vicinarum rubor, calor, aut tumor, subest etiam nonnunquam cacochymia, & quâdoque siue natura, siue casu aliquo, non admodum firmus est partis quæ uritur calor, & gangrenæ periculum imminet. præuidere, præcauereque, ne accidant, hæc singula, oportet. Vbi igitur facta uisione id tantum agendum est, vt crusta detrahatur, conferunt celeriter consequentia, ad pusque corruptam partem ducentia. opportunum tunc est butyrum, atque adeps: vitellus etiam oui. opportunior vitelli eiusdem expressus succus, quem oleum uocant. hæc enim præterquâ quod temperato calore atque humore coctionem promouent, ad mitigandum etiam dolorem valēt. huc pertinent caricæ quoque & farina tritici, & mica panis, & hydroleum, & cera ex oleo, & resinæ alicuius momento. At vbi ad sit cacochymia, vel si imbecillus sit calor, ita vt gangrenæ suspicio sit aliqua, exsiccantibus uti expedit. atque ex usu erit & salis aqua ab Albuca si aliquando proposita, & iris, & aristolochia, atque etiã

50 De Igneis medicinae praesidijs.

porrum, quanquā hoc eo quoque nomine vtile est, quod, quū causticā sit facultatis, & vstionis vim augere, quasiq; perficere potest; & frigida, si adesset, intemperiei, reliquias abolere, & detergēte facultate, crusta lapsum facere celeriozem. Quod si dolor vrgiat, vel periculum sit inflammationis, tūc & oui candidum, & eorum frigida aqua imbutam, & astringentes succi recte admouentur ad initia. paulo post enim, q̄a praetermittere non licet ea quae crusta concoctionem putrefactionemque adiuuent, vitellus quoque oui additur, aut butyrum concoquentis & anodinae facultatis particeps. aut eorum aliquid aliud, quae modo diximus. Vbi corrupta prorsū est crusta, auferenda est vel forcipe, vel medicamento detergente; quale mel, mulla, hordei, fabae, orobi, lupini, farina; priusquam autem ex toto corrupta sit, & suppurantia, & alio modo corruptentia his quae detergant, commiscantur.

Crusta detracta quid faciendum. Cap. XXXIII.

AMOTA crusta, si folius intemperiei gratia facta sit vstio, ad ea statim, quae carnem, mox & cicatricem inducant, accedendum. Quod si euacuatio quoque inutilis alicuius materiae quaeratur, vlcus trahendum est, impediendum que, ne sanescat. fit hoc, illi immisso vel cicere, vel orobo, vel cerea pilula. Aliqui globulum immittūt ex hederæ ligno. alij ex gentianæ radice, alij ex argento. Verum, quum hederæ & folia & flores ad ambusta commendet Dioscorides, frigiditatem vero atque adstringendi uim cum pauca acrimonia ipsis tribuat Galenus; (si modo illarum partium naturam lignum quoque retinet) hic, vbi neq; curare vlcus, quod vstio fecit, sed protrahere; neq; densare circum sitam vlceri partē, sed potius aperire ad inutiles succos extrahēdos oportet; nō satis opportune eiusmodi materia sumi videtur, nisi forte largior fiat humorum excretio, quam oporteat. Gentianę autem radix calidioris simul atque adstringentis facultatis est: vt propterea, quum possit vel vlcus inflammare calore, vel et adstringendo eius parietes densare, minusque ad inutiles humores educendos aptum vlcus reddere, non etiam caret suspicione.

spicione. sed & argentum ob insitam frigiditatem siccitatemque prohibere potius, quã promouere expurgationem vlceris potest. Aptissima igitur cera est, non modo quia neque exasperat, quum sit lenis; neque vel parce, vel immoderate trahit, quum sit temperati caloris; sed quod etiam alia illi facile possunt commisceri; quę vel excretionem adiuuare, vel corrigere varia vlceris symptomata apta sunt. sic alij scammoniũ ad bilem, colocynthida ad pituitam, elleborum ad atrum humorem extrahendum commiscent, alij alumẽ, vel æruginẽ, vel præcipitatum, vel stimmi, vel arsenicum nuncupatum, vel consimilia alia ad callum vlceri adnatum erodẽdum, nõ sine fructu adiungunt. Sane autem, quę dehinc pertinet ad vlceris tractationẽ, atq; ad carnis excrescentiam, laborum dolorem, pruritum, nigrorem, callũ, ad vlceris ariditatẽ nimiam ad variorum generum tumores, quorum symptomatum aliquod sæpe huic coniungitur, alio loco quærendum. non dissimilis agẽdi hic, atq; in alijs vlceribus ratio est, a veteribus atque etiam recetioribus fusissimẽ explicata; a nostro autem instituto aliena; quod est, id tãtum adnotandi, quod priuatam ad horum remediorum vsum habet obseruationem.

Quandiu vlcus igne excitatum trahendum sit.

Cap. XXXIII.

ILLIS ergo præteritis, nunc, quam diu vlcus igne excitatum trahendum sit, videamus. Quum, n. si intemperiei auferendæ gratia vramus, apertum illud sit, vlcus proxime ab visione curare oportere; ita, si aduertendum factum sit, nõ idẽ omnes statuunt. Probãt pleriq;, & communi vsu nunc obseruatur, vt in omne vitę tẽpus vbi semel factum est vlcus, protrahatur, ne prauis corporis humores, quos assuevit natura p id vlcus continenter expurgare, sanato vlcere, in præcipuam partem aliquam cum præsentis vitę discrimine resiliant. hoc enim frequenter accidere obseruatur. At cõtra certum illud est, & insitum vlceratæ partis calorem, cum frequenti frigidi aeris occurso, tum continua diuturna que humoris & alimentarij & insiti dissipatione, languescere; & membrum ipsum

G z accidente

32 De Igneis medicinæ præsidijis.

accedente virium omnium imbecillitate, tabescere. nõ caret
igitur suspitione, si diutius protrahatur. Nos in hac contro-
uerba, sicuti, si soluta sit affectio, cuius causa vtere oportuit,
quum nihil iam eo vlcere opus sit, rationi consentire existi-
mamus, ut curesur: corporis tamen sordibus, & medicamẽto,
& parcitate alimentorum, & alia omni ratione, prius euacua-
tis; ita persistente etiamnum causa, post aliquot menses, ubi
partem macilentiorẽ iam reddi uideris, verustum
quidem illud ulcus sanari, ne ulcerata pars fla-
uescat, oportere arbitramur: sed antea ta-
men, & nouo alia in parte ulcere ex-
citato; & corpore frugali;
optimaque uictus ra-
tione, atque e-
tiam medi-
camen-
tis
ad mediocrem sta-
tum reda-
cto.

FINIS LIBRI PRIMI.

53
IOANNIS

COSTAEI

DE IGNEIS MEDICINAE

PRAESIDIIS

Liber Secundus.

*Qui est de illorum usu in privatis,
& affectibus, & locis.*



EXPLICATA generatim, speciatimque igneorum remediorum natura, atque utendi ratione, sequitur, ut, quomodo & priores & posteriores quoque, magni nominis Medici, pro affectuum locorumque uarietate, uariam in illorum, maxime autem in cauterum usu, adhibuerint diligentiam, ostendamus; sumpto a capite initio.

Igneorum remediorum usus in externis capitis affectibus.

Caput. I.

QUVM igitur, varijs malis secundum varias sui partes exteriores, exterioresque laedi caput soleat, & communibus, & proprijs, cum per essentiam, tum per consensum; ad cutis quidem, quæ illud ambit, vitia, ignea medicamenta aliquando venisse, apertum est, quum in alopecia, thapsia, sinapi, nasturtium, similiaque alia, de quibus superiori libro diximus, ad attrahendam pilorum materiam incutem, & alias, & nunc quotidie vsurpentur. Probarunt illi etiam sinapismum in vetustioribus capitis doloribus, qualibus non

74 De Igneis medicinæ præsijs.

bus non raro capitis cutis afficitur. An causticis sint vsi, non obseruauimus. Aetas nostra in difficillimis illis tumoribus, quos gummi vocant, frequenter præter cæteras alias corporis partes frontem & capitis cutem infestantibus, hoc feliciter vsurpat. Accidere solet ijs maxime, qui ad veneream luem curandam æstuarijs & hydrargiro vtuntur, vt prauis humoris violentius per ea remedia agitati portio aliqua, pituitosa potissimum, ac melancholica, alicubi, præsertim ad articulorum ligamenta atque ad membranas ossa vestientes consistat, vbi, dum moram trahit, crasse scit, & fit tumor. nunc mellis, sepi, aut pollentæ substantia, id est, meliceridis, atheromatis, & steatomatis specie; nunc etiam lapidosa consistetia, & prorsus tophacea, qui grauissimos dolores inuehit, præsertim noctu. Hoc igitur vitium, etsi varijs alijs præsijs occurrere illi mos est; vix tamen alia superari ratione obseruamus, quam ferramento bene candente valide impresso, ita ut subiectum os in conspectum ueniat, quod quidem os, si vel putre, vel cariosum sit, suis deinceps tollendum & curandum est remedijs, quæ hic locus afferri non postulat. Est igitur aliquando ex vsu ad exteriora capitis mala, cauteriũ. Quomodo autem ad interiorum quoque partium affectus, non infrequens fuerit præsidium, nunc dicendum.

Interiorum capitis partium doloris curatio per ignea præsidia. Caput II.

QVVM interiores capitis partes sint, cum membranæ cerebrum inuoluentes, tum cerebrum, tum venæ arteriæque membranæ, & cerabro intertextæ; tum nerui sensuum & motuum instrumenta; possunt hæc quidem partes singulæ ita varijs morborum generibus affici, vt earum actiones, cum naturales omnibus partibus communes, quæ pertinent ad nutritionem; tum propriæ, quæ ad sensum, rationem, & motum spectant, lædantur. Corripi autem excepto cerebro, cuius substantia sensus est expers, possunt omnes dolere, qui aliquando vsque adeo vrget, vt vel extremam perniciem inferat. Est autem eius origo vel in capite per essentiam vel

vel in parte alia, sed quæ caput in consensum trahit. Vbi in capite sit per essentiam, vt in aliarum quoque partium affectibus, euacuari potest id quod affectum facit, vel per ipsam met partem, euacuatione priuato nomine nuncupata; vel per partem aliam deriuando, aut reuellendo. Primum ergo, quomodo in dolore capitis per essentiam ignitis remedijs vsi sint & priores & posteriores; tum verò quomodo eodem. in affectu per consensum uti liceat, dicendum. In forti igitur ac diuturno huius partis dolore, veteres vsos esse sinapismo, Oribasii, Aetij, & Pauli est testimonium. Hippocrates verò alibi, vt caput vel scarificetur, vel in circuitu vratur, poponit, alibi, ubi caput repletum fuerit, vt crustæ octo capiti inurantur, duæ circa aures, in occipitio duæ hinc atque hinc ad ceruicis neruum, & duæ in naso circa angulos oculorum. Sed & Galenus ex Archigene vsionem proponit, quam Actius quoque, & Aretæus, & Celsus, & Paulus. quam Cælius Aurelianus plurimos diuersarum sectarum principes in vsu habuisse est Author. Quæ res, quum ita habeat, dignum quidem est, vt veterum in hac curatione diligentiam obseruemus. Illud autem primum apertissimum est, horum scriptorum nullum hoc præsidij genus nisi in difficillimis affectibus proponere, neque prius probare, quam sint diuturni. Sic Hippocrates non prius multas illas crustas inurit, quâ, vbi intra quadraginta dies sedatum non fuerit malum, neque inurit, nisi post alia multa magna præsidia, nempe post veratrum, id est, vomitum insigni medicamento excitatum; & post remedium, quod deorsum purget. Quis autem locus inurendus sit, reliqui prætereunt: explicarunt & Hippocrates & Celsus. Sed ij diuersi. Celsus vlcera excitat vbi dolor est: Hippocrates alibi ait in circuitu vrendum: alibi quid sit inurere in circuitu docens, vult ad aures, ad nares, ad occipitiu inuri, ita, vt octo sint crustæ. Sed Hippocrates quidem in magna capitis repletione, ubi priuatim locus loco non sit magis affectus, non immerito per plures partes inutilibus capitis succis euacuationem parat: recte etiam Celsus locum qui maxime affectus est, exulcerat. Vterque per eam quæ proprie euacuatio dicitur, excrementa, quæ in capite continue gignuntur,

Orib. 10.
med. coll.
cap. 12. A
4. lib. cap.
50. Paul.
lib. 3. cap.
5. Hipp. di.
de affectio
nib. & 2.
de morb.
Gal. 1. de
cõp. med.
per loca c.
Aet. li. 6.
ca. 50. A-
retin. 1. de
mor. diut.
ca. 2. Cels.
lib. 4. cap.
2. Paul. li.
3. cap. 5.
Cæl. 1. tar.
pass. ca. 1.

gignuntur, id est, materiam, quae continui solutionem; & dolorem facit, educens. Inurit autem Hippocrates octo crustas, ac primam binas circa aures: quod ita intelligendum est, ut ad singulas aures binas excitentur, quo additis binis ad angulos oculorum, & binis ad cervicis neruum, sint in uniuersum octo, ut proponit. Et in aliarum quidem crustarum excitatione, quum eas absolute proponit, satis esse innuit, ut cutis inuratur, nempe adigere altius non licet ferramentum ad oculorum angulos ob ossis narium tenuitatem; non etiam ad cervicem, ob dolorem qui illic propter nervosae substantiae sensum accidere solet vehemens. De uestione autem ad aures, quatuor proponit, ut vrantur arteriae, quas venas vocat. ut ita vrantur, ut desinant pulsare, ut ferramentum quod vrendum est, sit cunei forma, atque ut uestio sit secundum arteriarum obliquitatem. haec vero omnia consulto. Vult vri, non venas, sed arterias, quod de capitis dolore agit a calidis causis excitato. ad initia enim quum affectum de quo acturus est, proponit, ait, quum repletum fuerit caput, & ab aliquo ex relictis percalefactum. Relata autem sunt, cibi, sol, labores, febrilis calor; quorum proxime meminerat agens de tonsillis. In doloribus autem, qui a calida & spirituosa substantia fiunt, arteriarum sectionem Galenus quoque praefert venatum sectioni. Vrit etiam arterias ut desinant pulsare, id est, alte, ut ad os pertingat: & vrit ferramento cunei forma, id est, scalpello candente, quo altius vrens simul & secans non arteriam tantum, sed etiam periostium, sensum illis partibus demat; ne ex dolore humorum fiat attractio, inflammacionem, aut convulsionem paritura. Vrit autem non secundum longitudinem arteriae, sed oblique, ut diuisa prorsum arteria se se vtrinque contrahat, & impetus fluentis sanguinis listatur, quod in arteriotomia quoque observatur. At vero, quum scribat hic author vrendas arterias, παρα τὰ ὦτα, non tamen docet, an anteriori parte, an posteriori sit vrendum. Verum ad anteriorem quidem partem aurium, sicut sunt tempora; cuius partis arterias & secare & vrere in hemisrania aliquos conuenisse author est Paulus, quemadmodum & eas, quae post aures positae sunt. An ergo & ante, & post aures, vult vri? Ita dixerim

lib. de cur.
rat. per san
gu. miss. ca.
22.

dixerim. Vt propterea ea vox *παρὰ τὰ ὦτα*, vertenda ut potius, circa aures, quam post aures. Et hæc quidem de proposita Hippocratis curatione. Ad quam illud quoque pertinet, quod in cephalæa scribit Archigenem Aetius; & alios in hemicania Paulus, ad multam profunditatem vsuile vsque ad os, ita vt ex eo squama abscederet. Quæ res non caret suspitione, cum, primum quidem necesse sit caput qua parte tenuius redditum est, magis esse expositum externis iniurijs. tum vero Hippocrates in propositi affectus curatione præter reliqua præsidia, & purgationem, & arteriæ, vt diximus, diuisionem, atque vstionem proponat; Cælius Aurelianus, quasi illum tacite insimulans, & purgationem, & arteriarum sectionem, & cauterium damnat. purgationem, vt ventriculo, & neruosis partibus inimicam. Cur arteriæ sectionem non probet, non affert causam: sed eam apertum est non carere periculo immoderatæ sanguinis effusionis, si findatur tantum; & refrigerationis insignis caloris naturalis, propter vitalis spiritus interceptionem, si transversim secetur. Vnde & coctionem lædi, & augeri præuam succum doloris causam, & dolorem necesse est. Cauterium autem improbat, quod in accessione ob vehementiam motus sit exitiale; post accessionem vero, quia aliorum præsidiorum vsum impediatur: quum vlcerationis exustione partibus neque frictions, neque cucurbitæ, vel dropaces, vel sinapismi, vel sternutationes, vel aquarum illusiones possint deinceps adhiberi. Cæterum etsi vstio profundior de qua Aetius & Paulus, eam capiti vel natura, vel morbi vi imbecillo minus conueniat; non adeo tamen anceps remedium est, vt proponitur. quum scalpro, terebra, aut modiolocaluariam perforari, atque eius aliquid excindi multo cum vsu quotidie liceat obseruare. nempe facta efflatione prauorum vaporum per apertum locum, & eo ablato quod corruptum est, vendicatur caput ab interioribus iniurijs: ad nascitur dehinc in detracti ossis locum callus densior, qui ab exterioribus tuetur, nihil igitur est, quod quis ab altiori vstione caluariæ tantopere metuat, si modo caueat loca importuna, nempe & musculos, vt Aretæus notat, generatim; & priuatim, eos qui temporibus inseruntur. Quod autem ex Aurelia-

Hippocratici sententia versio corrigitur.

*1. tard. pas
I.*

58 De Igneis medicinæ præfidijs.

no obijcitur, facile refollitur. Purgantium quidem medicamentorum, etsi natura, ventriculo aut nervis infensa sunt, malefica uis omnis corrigitur ijs additis, quæ illis partibus sunt amica. neque his ipsis partibus tantum molestiæ ex medicamento accedet, ut longe maius non sit commodum, quod corpori uniuerso ex inutilium succorum euacuatione succedit. In arteriæ autem diuisione sanguinis effusionem, aut innati caloris per frigerationem, & prauis succi cumulum non timebit, qui maiores arterias non tetigerit. A cauterio autem etsi repentinam vehementemque spirituum agitationem tunc fieri, quum uritur pars, negari non potest; momentanea illa tamen est, & non multi facienda, tum ob quietem quæ mox sequitur: tum ob usum eius remedij longe maximum, per quod ex alto in superficiem cutis prauus humor doloris causa attrahitur. Frictiones autem, cucurbitas, & reliqua eius generis præfidia, quorum meminit Aurelianus, satis apertum est post cauterium esse importuna; quæ, ut leuiora, tentanda omnia sunt ante, non post cauterium. Sed de usu cauterij in capite, hæc ex veteribus. Quibus, licet, quo ad præsidium, posteriores consentiant; locum tamen deligunt exurendi alium, atque alium. Albucasis in capitis affectibus ex frigiditate, atque humiditate, quales sunt dolor capitis, humorum fluxus ad oculos, & aures; profundior somnus, dentium & gutturis dolor, paralysis, epilepsia, atque apoplexia, post euacuationem uniuersalem & particularem, curationem tentat cauterio oliuari in sincipite altius adacto, ita ut os in conspectum ducatur. Hoc si non conferat, tenuiori ferramento alteram crustam prope priorem, sed sub ea, id est, ut puto, supra sagittali futura excitat. Ac rursus, si persistat affectus, hoc ipso tenui ferramento, omne, ut ait, cornu capitis usque ad os exurit: nempe in anteriori capitis parte utrinque ad futura coronalis latera, & in posteriori ad latera lambdoidis. Tandemque si affectus non cesserit, in occipitij cavitatem aliam excitat crustam, sed non usque ad os, ob dolorem qui illic maior quam in alia capitis parte percipitur. Et hæc quidem in dolore, qui uniuersum caput perstringit. Quod si, non totum, sed partem tantum afficiat dolor, quem hemieraniam vocant; tunc duplex

lib. chirurgi. 1. ca. 2.
3. 4. 125.

duplex proponit cauterium; per medicamentum, & per candē fer-
rum. nempe, cute ad tempus affecti lateris scalpello lato a sub-
iecta parte separata, alij nucleum sub ipsa cute includit, &
supraposito puluillo accommodato, arte astringit. quinde-
cim autem exactis diebus alium detrahit, neglectoque per bi-
duum triduumue vulnere, quarto die cotum ex butyro adhi-
bet, ut pus excitetur; ad motis dehinc remedijs, quibus cure-
tur vlcus. Curatio altera fit per ferramentum, in cuius descri-
ptione & usu difficile quidem est assequi quid velit: nobis
autem hoc in mentem uenit. Ferramentum id vocari aut cla-
uum *clauile*, quia *clauorum capiti sit simile*. Quum ergo cla-
uorum capita alia sint instar umbilici rotunda, quotidiani
usus ad asseres asseribus coniungendos; alia pyramidalia, quo
clauorum genere domorum fores munire superioris ætatis
mos erat; alia oblonga; qualibus fere ad soleas iumentorum
calcibus affigendas est usus; ferramentum quod hic proponi-
tur, ad huius tertij figuram efformatum velle ipsum putō, cur-
uum tamen ita, ut in medio magis emineat, quam ad latera.
Hoc igitur candēs in tempore ubi vrget dolor, ad mouendum
est, ita ut, quod eminent, loco doloris insideat; simul autem
ferramenti lateribus hinc atque hinc vtrumque doloris latus
celerrime prematur: atque hoc pacto altius in loco doloris
perueniat vltio quam ad latera, quanquam in eo etiam vren-
do agendum est, ut dimidia vix cutis crassitudo exuratur, ne
subiecta arteria lædatur, & sanguinis effusio sequatur. Facta
vltione, cotum aqua salis imbutum admouet, dehinc quarta
die cum butyro, curationem postea prosequens cum tetra-
pharmaco quousque sanetur vlcus. At verò, si ne ita qui-
dem dolor sedetur, aliud proponit atque aliud. Primum
ducta atramento linea semidigitali super locum doloris, pro-
cul tamen a ligamento, tendine, & neruo maxillam mouen-
te, id est, procul a musculo temporali, cultello ignito arteriā
vno ductu secat vsque ad os subiectum. Quæ curandi ratio,
si ne ipsa quoque dolorem prorsus sedet, cauterium propo-
nit duos cultellos habens, ut arteria duobus locis transuer-
sim secetur simul, & vratur: quem operationis modum ipse
alibi docet, a Paulo fere non diuersus nisi in ferramenti fi-

60 De Igneis medicinae praesidijs.

gura. Atque haec quidem de cauterio in capitis dolore ex Al-
 bucasii. Cuius progressum si Hippocratico comparemus, esse
 aliquid videtur, quo Hippocratem dicas superare. Quippe,
 dum ad suturas exurit, ac primo coronalem in incipite; se-
 cundo sagittalem, tertio coronalis & lambdoidis latera; loca
 aperit, per quae maxime exspirare caput solet, quod non ob-
 seruans Hippocrates noua, & naturae non consueta quarit
 spiracula ad nares atque aures. Dum verò vterque ad occi-
 pitium inurit, iudicare haud facile sit, vter rectius; ille ne qui
 ad tendinis latera, an hic qui in ceruicis cauo. Minoris qui-
 dem discriminis excitandi doloris, & maioris vsus esse vide-
 tur, duo loca ad tendinis latera cum Hippocrate aperire, quae
 in ceruicis cauo, cui neruorum origo subest, exurere. Verum,
 si non alte exuras, vt vult Albucasis, suo quidem non carebit
 vsu vlcus in cauitate illa excitatum, minoris verò erit mole-
 stiae, quam quod ad tendinis latera, quum fieri non possit,
 quin capitis motum sequatur dolor, dum continuas vlceri-
 bus partes conuerso, nunc in vnum, nunc in alterum latus ca-
 pite, distendi necesse est. Sed, quod passim iactatur, inuentis
 addere facile est. Cur Hippocrates suturas euitarit, non ob-
 scura est ratio, quibus enim a membranis cerebri propagines
 non vno loco inferuntur, si violentur, & inflammari accidunt;
 non vacant periculo conuulsionis, tracto cerebro in consen-
 sum, ad cuius periculi auersionem consuluit posteritas inu-
 stione altiori, quae etiam os attingat, vnde ablato membranae
 sensu, neque dolor, neque ob dolorem humorum attractio
 sequi potest. Hoc quum Hippocratis tempore nondum for-
 tasse esset obseruatum, mirum non sit, eum dimissis suturis
 alium quaesuisse exitum humori, atque alium. Sed, si reliqua
 prosequamur, quae Albucasis in hemisrania experitur, sectio
 quidem primum illa & separatio cutis, cum alij insertionem,
 & operosior, & longe ob dolorem molestior est, quam vt e-
 legans medicus tentare eam debeat. Secunda, qua inurit
 tantum cutis, improbari non potest. post crustae enim casum
 per subiectam cutis partem tenuiorem exspirare vapor, atque
 etiam effluere tenuis arteriae ichor facile poterit, multo cum
 vsu. tertia & quarta difficillimae sunt, praesertim tertia, in
 qua,

Li. I. ca. 5.

qua, quum sectionem semidigitalem requirat, cum arteriæ sectione; & non explicet, an secundum longitudinem arteriæ, an transuersim, vulnerandus sit locus; accipites nos reddit. Si enim secari arteriam secundum longitudinem velit, semidigiti mensura, periculum longe maximum profusionis sanguinis impendet: quam non facile sit compescere. Sin ita, vt transuersim secetur arteria, nihil videbatur opus semidigitalis mensuræ meminisse. Sed (quod arbitror) transuersim secat; ita vt cutem quoque præter arteriam hinc atque hinc incidi velit, ita vt vulnus totum sit semidigiti mensura. hoc verò ad largiorem prauis succi expurgationem facit. Secta autem & vsta transuersim arteria, apertum est, de immoderatiore sanguinis effusione nihil verendum, quum ipsamet arteria contracta vtrinque viam sanguini præcludat. Sane autem prætereundum hoc loco non est, non in dolore tantum capitis, sed etiam in epilepsia, paralyti, tremore, stupore, vertigine, in nervorum affectibus, in oculorum dolore ac rubore, in vetustis aurium ac narium vitijs, in antiqua tussi, & in ventris fluxu qui ex destillatione ortum habeat, recentiores vsu optimam inuenisse vstionem sincipitis, secundum suturæ coronalis ductum, quæ fiat cultello ignito alte impresso, & celerrime sublato. Qui modus a veterum exemplo non discedit. Vrendo sinciput, æmulantur Albuca sim: Hippocratem verò in ferramenti secantis simul, & vrentis vsu (tale enim erat cauterium cuneoli figura) aptissimi, quod ob acutam aciem minori cum negotio & dolore altius penetraret. penetrationem enim quærunt & hi, & illi, vt squama ex osse abscedat, caluariaque reddita tenuiori, maior fiat & exspiratio vaporum, & humorum euacuatio. Hoc verò Archigenem quoque voluisse & Paulus & Aetius testantur, quanquam minori periculo nostri quam veteres, quod enim illi in ipsamet vstione quærebant, nostris expectatur post casum crustæ, quare, licet alte imprimi ferramentum velint, celeriter tamè id fieri, & statim amoueri cauterium iubent ob periculum inflammationis: quam, si quis abscessum oris quærat vrendo, vix licet euitare. Tutior igitur hæc est quam veterum operatio, quanquam, quum non explicent, qua mensura sit vrendum,

62 De Igneis medicinae praesidijs.

dum, dubios nos reliquere. Verum, quando, quod ex cauterio medicus quaerit, non aliud est, quam halituum efflatio, atque humorum exitus: quum non alibi maior fiat difflatio, quam sincipite in medio, qua parte ossa, inter quae futura coronalis decurrit, serius quam alibi solent coalescere, illud spacium, quod, ut diximus, serius coalescit, praescribere videtur terminos vstionis, quod, quum non latius sit quam vnguis pollicis in manu; qui ea mensura vserit, non puto erraturum. At verò, si proposita vrendi ratio affectum non soluerit, non deest alius vstionis modus; is verò est, crustam ad eiusdem coronalis latera inducendo, vtrinque vnam: sed rotundo feramento, hoc & *Albucahis*. Dignum autem scitu est, cur, non ut in priori, cultello; sed rotundo cautere sit utendum. fortasse, quia apertum vlcus seruandum est: sit autem hoc, indito vlceri linamento, vel globo cereo, aut alia quavis re, quae impediatur ne vlceris labra coeant, quia in sincipite linamentum facile seruatur, quod veluti in plano quiescit, ad latera autem ob decliuitatem facile elabatur; atque eo elapso vlcus occluditur, propterea praestat ad latera rotunda esse vlcera, ut quae difficilius, sanentur. Ceterum qualicumque instrumento vratur, vstio haec quae ad latera, non minoris est vsus, quam superior. Et si enim per superiorem maior fortasse fieri potest efflatio vaporum, quorum naturalis impetus est ad superiora, minor tanta fiet humidæ materiae euacuatio, quae minus prompte sursum fertur sui natura. Contra autem maior humidæ materiae excretio ex laterum vlceribus expectanda est, ob decliuitatem, in quam sui pondere prompte delabitur. quamobrem, ut in affectibus capitis ex flatulenta materia, superius; ita, si magis ex humida pendeant, posterius vrendi consilium magis profuturum existimarem. Iam verò si haec non omnino malum superarint, adhuc tamen aliquid est, quod liceat tentare, id autem est vstio cavitatis occipitij, quae duplici modo fieri potest, vel rotundo cautere inurendo tantum cutem; uel ipsam apprehensam forcipe acutius traiciendo, & inducendo laqueum. priorem habemus etiam ex *Albucahis*, posteriorem, quod ad capitis affectus pertinet, debemus nostris, alioqui hoc vrendi modo vsos fuisse veteres,

res, Authōritas est Pauli, in splenicis cutem spleni incumbentem per hamulos tractam ter candenti cauterio trajicientis, 48. ita vt sex crustæ fiant, non eminit ille tamen laquei, quem nostri, & non temere quidem, ad vlcera diutius seruando traducunt. Et si autem conferre in aliquibus capitis affectibus harum vstionum vtraque eo nomine potest, quo ex anterioribus præsertim capitis partibus, in posteriores decliues facile humoris aliquid illabatur; si has tamen superioribus conferamus, plus humoris ex his quam ex illis expurgari obseruamus, atque si harum ipsarum alteram alteri comparemus, posteriorem, in qua traducitur laqueus, quum altius cutem apprehendat (alioqui enim celerissime laceraretur, nec contineretur laqueus) à profundioribus partibus magis trahere existimandum, quam simplicem vstionem, in qua ob subiectum neruorum principium, atque ob doloris sensum, cauent & Albucasis & reliqui, ne altius ferramentum adigatur. Accedit autem posterior vrendi ratio ad Hippocratis modum, quo hinc atque hinc secundum colli tendinem, exurit.

Vstionis vsus in capitis dolore per consensum. Dubitationum duarum solutio. Caput. III.

HACTENVS quomodo in capitis dolore per essentiam, & priores & posteriores medici cauterio affectę parti inulto consuluerint, quum explicatum sit, reliquum est, de eodem præsidio in affectu ex aliarum partium consensu differere, si prius binos scrupulos qui obuiam fiunt, amouerimus. Prior est, quod, quum in diurnis vitijs languescere vires capitis omnes frequenter soleant, qui veterum exemplo caput infirmius exurere audent, videre est quotidiano experimento, non modo nihil professe, imo verò & deteriora mala reddere, & perniciem inuehere inemendabilem. Quid hic igitur erit consilij? Cæterum non debet illud medico e memoria excidere, sicuti nō nisi summis morbis summa debentur præsidia, & ad magna remedia virium robur requiritur, neque tamen extrema prius probantur, quam
facto

facto periculo, non leuioribus curari affectus possit; neque priuatæ ulli parti prius adhibere curationem oportet, quam toti corpori sit prospectum, ita cauteria neque in recentissimo morbo, neque priuatim, affecto loco conuenire, nisi tentatis alijs, totiusque corporis plenitudine omni diligenter, imminuta; neque sine praesentium futurarumque uirium & corporis totius, & partis quam inurere animus est, constantia. Non igitur ij laudandi, qui in omni promiscue corporis affectu, ante alia tentata praesidia, corpore prauis multaque succis sordido, cum imminente uirium omnium lapsu ob aestuosam febrem, phrenitidem, aliaque symptomata, capitis uisionem proponunt. Id dissimulandum certe non est, ob repentinam illam ignis uiolentiam uniuersi corporis spiritus humoresque exagitari, ad affectamque partem adiuuante immoderato calore, ac dolore, concitari, quumque eius remedij fructus non nisi multo post tempore sequatur (uix enim transacta hebdomade dierum, id est, post crustæ quam ignis reliquit, casum, sordium aliquid effluit) interea autem damnum sit praesens; apertum quidem est ægros uisione illa importuna frequenter celerrime in interitum ruere, quos natura seruasset, aut etiam ars cunctando restituisset. At praestare aiunt in desperatis rebus anceps tentare praesidiū quam nullum. Quasi uerò uiolenta eiusmodi uisio nulla ratione indicata (quis enim ad affectam atque imbecillā partem, nobilissimam autem, & uitæ usque adeo necessariam, alunde inuitiles succos trahat?) praesentanea uerius non sit perniciosa quam remedium, quasque ubi vel capitis, vel corporis reliqui languidiores esse vires accidat, siue diuturnus, siue recens sit affectus, rationabilius, minoris periculi, minus incertæ spei, æque uerò promptum non sit auxilium (si modo quid tale ægri corporis admittant vires) ad aliam non magnæ dignitatis aut actionis præcipuæ authorem partem, easque in capite effluunt sordes, retrahere, ipsoque intacto; in maxima quidem succorum abundantia reuellere ad crus unum aut alterum; in parciore, ad cubitum deriuare. At non docuere hoc veteres (hic uerò secundus est scrupulus de quo antea admonuimus) quos apertum est, illam fere tantum

tum euacuandi rationem esse prosequutos, quæ euacuatio, priuatim dicitur, & ex affecto ipso loco materiam educit. Anne igitur deriuando quoque vel reuellendi locus non est, vbi per essentiam affectum est caput? Si quidem vitium in vno sit capite, materiaque illius vitij causa in eo originem habeat, nullus hic reuulsiōni est locus, quæ fluentis materiæ remedium est; deriuationi tamen datur locus, quæ potest quiescentem subtrahere humorem, nisi sit impactus. At quum in diuturno affectu omni pars omnis imbecilla reddatur; corpori verò vniuerso id insit, ut in infirmas partes sordes suas reijciat; in locum per essentiam vitiatum ex partibus alijs aliquid influere, perpetuum est. Hoc igitur nomine, per accidens quidem, non parum tamen, affecto capite per essentiam, conferre potest etiam reuulsio, præter deriuationem. Quia ergo deriuatio retractio est ad vicina, reuulsio ad longinqua; quæcunque vltio extra capitis terminos, & ad illius tamen confinia facta fuerit, habebit rationem deriuationis; quæ longe a confinio, reuulsiois: & afferre vtraque vltio magnum capiti poterit commodum, si modo adsit consensus vasorum, vel fibrarum, vel (si non aliud) lateris. Non temere igitur, si alterum tantum capitis latus dolor occupet, ad reuellendum, in crure; ad deriuandum, in brachio quod responderet dolori, vlcus excitabitur: si totum, in dextro; atque etiam vbi contumacior sit, in sinistro. Et si enim, quum sanguinis missione reuellere a capite animus est; in talo, extrema fere corporis parte, sit sectio; quod eam tamen partem inurere importunissimum sit progressui; commodius, & cum vsu non exiguo, vruntur crura. Atque hæc de propositis dubitationibus. Nunc (quod sequebatur) quid, si aliarum partiū vitio caput doleat? In aperto est, in illam, a qua malum exoritur, partem, imo infra ipsam esse attrahendum. proptereaque, si a corpore vniuerso vitium pendeat, in cruribus præcipue, vt quæ maxime a capite distita sunt, vrendum; quo, & longe ab infirmo loco, & in partes minus nobiles conflue- re superuacaneus humor assuescat. Ita verò etiam fere, si a priuato aliquo membro, quale iecur, lien, vterus, capiti malum communicetur, trahendum quidem affecto iecore.

ad exteriora dextri cruris; liene, ad exteriora sinistri: vtero ad interiorē alterutrius aut vtriusque; aut etiam ad interiorē supra genua, seruata hoc pacto, & rectitudine, & consensu.

Epilepsia & vertiginis curatio. Cap. IIII.

SEQVITVR vt reliqua capitis vitia prosequentes, quoniam iam igneorum præfidiorum vsus fuerit, doceamus. Inter ea non postremæ notæ sunt epilepsia & vertigo, affectus magnitudine quidem porissimū diuersi, sed merito tamen symptomatum, caularum, & affecti loci, affines. In his igitur curandis quomodo si vetusti essent, sinapismum capiti admotum veteres plurimi æstimarint, apertissimum faciunt Oribasius, Aetius, Paulus. Priuatim autem in epilepsia accessere illi etiam ad vstionem per ferramenta. Sic Aræteus post purgationem, venæ sectionem, & reliqua in vetustis capitis deloribus opportuna, opus esse ait ignem capiti inferre; quamuis qua parte, & quo modo non explicet. Explicat Celsus, post auxilia omnia vrens candenti ferro occipitium, & infra, qua summa vertebra cum capite committitur, duobus locis, vt per ea perniciosus humor euadat. Nempe, his si finitum non sit malum, prope esse, vt perpetuum sit, vfos hoc ipso remedio & Praxagoram & Themisonem author est Celsus Aurelianus, quanquam id non probat, propterea quod eiusmodi operatio in accessionibus, affectum ob tumorē exasperet; post accessionem verò ægros, alioqui recreandos, dolore illato fatiget, ac præterea, ne illi parti admoueantur præfidia syneritica, impediatur: sunt verò ea, frictions, cucurbitæ, dropaces, sinapismi, aquarum illisiones, quæ vulnerata loca perferre apte non possunt. Cæterum, Aureliani quidem obiectis, antea, quum de capitis dolore ageretur, abunde satisfactum putamus, vt propterea damnari non debeant qui caput in comitiali morbo exurunt, exquirere potius diligenter oporteat, sit ne in eiusmodi vitio omni, & in omni corpore capiti cauteria adhibere opportunum. Quod vt pateat, statuendum quidem prius ex medicorum consensu est, fieri hoc

10. med.
coll. cap.
13.
lib. 3. cap.
181.
lib. 7. cap.
19.
libr. 1. de
cur. diut.
morb. ca.
4.
Lib. 3. ca.
23.
Li. 1. tard.
pass. capi.
4.

hoc malum ex prauo humore vaporeue repente in cerebri sinu sirruente, & animalium spirituum transcursum impediēte: propterea medici consilium esse in hoc non aliud, quam illi quicquid est quod impediāt, exitum quærere: quem, sicuti, vbi fixa in cerebro est causa, post tentata alia omnia, non parte vlla tentari cum fructu posse, quā ex capite; ita si aliunde in ipsum moueatur, in partibus ipso inferioribus aperire etiam necesse est. Vbi ergo per essentiam in cerebro sit malū, qui capiti crustas inusserit, non temere inusserit, si modo alia quædam circa ægrum corpus, & circa illius causæ naturam obseruarit. Nempe corpus, sicuti vbi validum sit, præsidij huius validi violentiam nihili æstimabit, imo verò ab eo, etiā multiplici, adiuuabitur; ita imbecillum vix feret. recte ergo, quia hic affectus, & alias quidem ætates, sed maxime puerilem infestare solet; Albucasis in pueris & imbecillis corporibus, sex tantum crustas, in sincipite unam, binas ad coronalis, & totidem ad lambdoidis futuræ latera inurit. in ætate du

Lib. I. ca.

II.

reriori ac valētoribus viribus tres addit ad colli vertebra; prætereaq; quatuor alias ad vertebra; dorfi. Ita quidē is, meatus aperiēs varios p quos vitiosa materia perspiret, nō agit temere, at asperius tamen, & in pueris, quā ea ætas ferat; & in alijs, quam vt tam multiplici dolore consistere possint vires, nisi rectē intelligamus. Quamuis enim tam multa ad expugnandam morbi contumacissimi vim moliatur, non eodem tamē die omnia. Sed, si vrgeat necessitas, post primam, secundam non sine tamen temporis interuallo; ac deinceps tertiam; & alias præterea vstiones proponit, ita, vt quiete, alimentisque, vt ille ipse admonet, optimis, seruentur interea vires ad præsidia perferenda opportuna. Erat & mali causa obseruanda. Quæ si vaporosa sit materia, quæ scilicet rarefacientibus cuti inductis, aut vesicantibus antea tentatis euocari non potuerit, quia altius sedeat; cauterio euocanda. At si humida, non quidem statim igne vrendum; sed vbi antea cognitum sit, calidum non esse humorem, qui malum facit. sic Albucasis non admoeri ait cauterium epileptico, nisi cuius offensa sit ex puita. Verenda enim est ex ignis opera in calido affectu, irritatio, & augmentum maius. Verum, an quicumque frigidus

humor huius mali sit causa, licet exurere? Non videtur quidem appositum atro humori euacuando praesidium exulsiō, quae exsiccat. Sed neque is humor aptus videtur ut sursum elici in cutem possit, qui crassus, grauis, motuique ineptus est. Caterum etsi hic & temperie est sicca, & substantia est crassa; est tamen non secus atque humores alij, fluxilis; & qui nō difficilius quam pituita illo sepe crassior, praeterea autem lenta, aperto in capite meatu elici potest. Sed aperiendi tamen meatus diuersa ratio est huius gratia, & pituitae. Ut enim ignito ferro in pituita, sic in atro humore, ad eius humoris tollendam crassitiem, atque ad auertendam siccitatem Albucahis vbi melancholiam curat, capiti butyrum affundit: ferramentum non probat, nisi tenue, quod parua stigmata faciat, & superficiem tantum vrat. Vbi igitur epilepsia sit affecto per essentiam cerebro, quicumque frigidus humor eius sit causa, post alia praesidia admittit etiam cauterium. At vero cur in huius praesidij vsu Celsus tres tantum crustas proponit, Albucahis tam multas? Quo etiam ordine in tā multiplici vsuone progrediendum? Illud apertum est, in comitiali affectu, qui conuulsio est omnium corporis partium non perpetua, cum sensuum ac mentis laesione; cerebrum & ad anteriores, & ad medium, & ad posteriorem ventrem laedi: ut non immerito quaecunque capitis pars exuratur, perniciosae huius mali auctori materiae exitus pareatur. Et nunc quidem anteriores, nunc posteriores partes magis laeduntur. Sed frequentissime primum huius vitij initium a sensuum, & mentis, id est, ab anterioris & mediae partis cerebri offensa incipit quae dehinc sensum posteriori quoque motricis facultatis sedis communicatur. Sic etiam in accessionibus sensus primum ac mens perturbantur quam motus; viget autem maxime affectio, quum maxime motus laeditur. Quando igitur motus origo ad spinalis medullae initium est, recte Celsus, obseruata huius mali quum maxime viget, laesione, spinarum principium exurit. exurit autem in occipite, & vtrinque; ad primam vertebram, non ignarus plures meatus, licet paruos, magnum praeuiae materiae exitum minori cum molestia facere, quam si vnus fiat in parte vna amplissimus. Verum, neque temere Albucahis,

Lib. 1. ca.

12.

bucasis, vel ad mediam capitis partem, vel ad posteriorem, atque ad vertebrae admouet cauteria. Quia enim & sensus & mens in hoc affectu læduntur, quarum actionum sedes est in priori, mediaque cerebro parte magis, quam in postrema, vbi cerebellum est, non immerito simplici primum vstione, in summo vertice vna, ad coronalis saturæ latera duabus, vitiosæ materiæ exitum parat. Sicut autem Celsus crustam vnā in occipite medio inducit; ita hic & in occipite, & præterea ad vtrunque lambdoidis lateris vnā, maiori cum vsu, quod maior per suturas fit exspiratio, quam per solidum os, quale est occipitij. Non præterit hic vstionem ad colli vertebrae, imo alias etiam proponit ad vertebrae dorsij; nobis insinuans, si conuulsio inferiores partes apprehenderit, illic etiam aperiri meatum oportere, vnde ad illas neruorum est progressus. Et hæc tenus quidem, quam diligentes maiores nostri in grauissimo hoc affectu curando fuerint, apparet. Ex quibus illud etiam liquet, cur ætate nostra tam pauci, aut nulli epileptici curentur. Scilicet non licet proficere curationem vt res postulat, culpa fortasse, non tam minus generosi eorum qui hoc vitio laborant, ingenij; quam præcipitis medicorum consilij, præsidium alioqui optimum importune alias imperantium, & vtili remedio malo ipsius vsu auctoritatem imminuntium. Iam verò, vbi hoc vitium ex aliarum partium consensu accidat; quid de cauterio statuendum sit, perquiramus. Illud quidem apertum est, quum prauæ materiæ, quæ Epilepsiam facit, causa sit mala particulæ illius in qua fit, intemperies; dandam ante omnia esse operam, vt parti illi consulamus, intemperiem corrigendo: quæ si manifesta sit, contrariæ qualitatis auxilio tollenda; si abdita, qualis frequenter esse solet, quo pacto partem a vipera percussam, ne continuas partes in consensum trahat, non exurimus modo, sed etiam abscindimus; ita, si hanc ipsam exuramus, sperandum fore, vt vel vitium partis corrigamus; vel certe, si corrigi nõ possit, perniciofa illa materia, quæ in superiores partes ferri consueuerat, illic exitum habeat, vbi ortum habet. Quod si, ne hoc quidem assequi liceat, consilium quidem tunc non aliud erit, quam, aut infra partem vitij fontem, si liceat, aut, si

non

non liceat, itinere in medio illi exitum aperire. Ita, quibus a digito pedis prauus halitus oritur, causa epilepsia, si induta ipsimet digito crusta, affectus non soluitur; quia infra affectam partem trahere non licet, non temere faciet, qui in intermedia, nempe in crure primum quod directe illi respondet; tum verò etiam, si contumacior sit affectus, in brachio cauterium inducet. Quod si vel a iecore, vel ab vtero excitetur malum; tunc non solum infra retrahere ad crura, & supra ad brachium, erit ex usu; sed præterea affecto quidem vtero inducere in interiori parte femoris supra genu crustam licebit; offenso autem iecore, quando hæc pars sua excrementa deponere facile solet ad inguina, sicuti vigente re, qua parte oriri bubones mos est, exurere futurum vtile: ita etiam non importunum fore præsidium existimamus, si laqueus per scrotum traducatur. At verò si a ventriculo, ut frequenter accidit, ortum hic affectus habeat, quemadmodum & de dolore capitis diximus, præstare arbitramur alijs præsidijis agere, quam vitione. Quamquam enim non ignoramus vesicantia, cauterio non admodum dissimilia in ventriculi affectu ab aliquibus admoueri; nos tamen, inter quæ nulla est, aut vasorum, aut rectitudinis, aut fibrarum consensus, quomodo vel reuulsio, vel deriuatio, atque, vno verbo, attractio possit fieri; non satis videmus. Siue igitur comitialis affectus per essentiam, siue per consensum affecto cerebro oriatur, quid agendum sit, aperuimus, ut id etiam pateat, quo pacto cauterio vti liceat, vbi, qui affectus prius caperat per consensum, postea factus est per essentiam, consulendum quidem prius est parti, vnde vitium ortum duxit, post capiti. At perstat adhuc tamen scrupulus. Solet puerulis hic morbus ex corrupta ventriculi coctione frequenter accidere, licet ne his capiti adhibere cauterium. Sunt hi quidem corpore vniuerso, maxime autem capite pituitosis frigidisque excrementis pleno; in quo vitium, quod erat per consensum, facile in affectum vertitur per essentiam. In his igitur, ubi primum eius mali germen appareat, etiam si sit à ventriculo, videtur rationi consentaneum, occipiti statim cauterium adhibere, ut ascendenti prauo halitui exitus prius pateat, quam noxia eius qualitas

qualitas in caput pertingat. At verò ea ipsa inutilium in toto corpore & capite humorum copia admonere nos potest, nò carere hoc consilium periculo. quæcunque enim pars vlceretur, in eam, quod in reliquis superfluit, recipi leui negotio potest. Non igitur (me iudice) quàm primum in pueris, hoc vitium se se prodit, sunt protinus inurendi. Sed, si ex corrupta ventriculi concoctione sit, attendendum illi primùm; tum præterea, totius corporis detracta plenitudine, per rectam, quantum instituere licet, victus rationem, perque purgantia medicamenta vel ipsis, vel nutriti iniuncta, obseruandum, an repetat. si enim repetat, tunc nihil erit, cur non vrantur. Verum & ex principijs ortus desumenda in his indicatio est. Quibus enim hæreditarium id malum est, in regionibus maxime, in quibus id frequentius esse solet: tuto, & non sine fructu, etiam in tenerima ætate, exurentur: si modo plenitudini, vt diximus, fuerit consultum. His ita de cauterio in epilepsia propositis, addendum, vbi affectus caput iam obsedit, vt sit per essentiam, vlcera in capite toto escaroticis excitata, cauterij vices supplere, si diutius seruentur.

Apoplexię Curatio. Caput. V.

INTER capitis affectus grauissima est Apoplexia. In qua, quò cauterio nullus ex veteribus vsos fuisse animaduertim, mirari subit de ætatis nostræ medicis, statim, vbi quis ea corripitur, nulla alia, ac vix clysteris præmissa euacuatione, capitis vstionem imperantibus, quasi cuius vsus est humores ad locum qui exuritur, attrahendi; ad caput, si illi præsertim dum adhuc in motu sunt humores, adhibeatur, maiorè excrementorum copiam non trahat, & acceleret mortem. Prudentius Rhasis, & Auicennas, post clysteres, post venæ sectionem, si est a sanguine, vel purgationem si ab alijs humoribus; postque præsidia alia ad vstionem confugiunt. Albucahis verò etiam obseruat, vt antiquus sit morbus, id est, vt iam sedata sit fluxio; atque vt absit febris. Non eodem tamen modo ab his ignea præsidia vsurpantur. Rhasis ferream

9. ad Mansorem cap.

4. Li. 3. Can.

F. 1. tr. 5.

cap. 14.

sartagine

farraginem ignitam capiti opponit, ita vt adurantur capilli. id verò ad attenuandam pituitam, quæ impacta origini neruorum eam obstruit. Idem Auicennam voluisse putandum est, quum igniferum, seu ignitum ferrum capiti vult admo- ueri. Albucasis sex capiti crustas primum, postremo, ori ven- triculi vnâ inurit: quæ curandi ratio digna est, vt expendatur. Vrens ille quidem super omne (vt ait) capitis cornu, ex coronalis futuræ atque lambdoidis lateribus euocare impa- ctos humores nititur. Subdit cauteriû in medio capitis, id est in sincipite; exitum illorum ipsorum per laxiorem partem, tentans, vbi priores vstiones satis profecisse videantur. Ha- bent autem hæ vstiones, quæ ad coronalem quidem futuram, & in sincipite, rationem quandam mediam inter reuulsionem, & deriuationem, quod humorem, qui iam fluxit, sed nondû impactus est, retrahit vt deriuatio, sed retrahit ad paulo lon- ginquiora, vt reuulsio: quæ ad lambdoidem, deriuationis, vt quæ ad vicina. Addit in capite tertiam in occipitio, quasi euacuatoriam ex parte, illic enim cerebellum est neruorum principium, & illic præcipua est sedes morbi. Quod postre- mo ori ventriculi cauterium admouet, ad excitationem egri admouere existimarim, eximij enim sensus est os ventriculi: quod propterea, quando reliquum corpus sensus est destitu- tum, suprapositi ignis violentiam percipere fortasse possit, cum spirituum humorumque ob excitatum dolorem excita- tione, & a loco quem temere obsederant, dimotione.

Melancholia curatio. Caput. VI.

EPILEPSIÆ affinis est melancholia, vt quæ illi non raro succedit, sicuti contra melancholiæ epilepsia. Cõ- sentaneum ergo rationi videtur, quæ urendi ratio Epilepticis, eandem & melancholicis fore usui. Cæterum quanquam, utriusque vicij eadem plerunque sit materia, plus tamen pi- tuitæ in epilepsia, plus atrii humoris in melancholia exsuperat. Recte ergo, ubi ex corruptis humoribus, & crassa pituita fit melancholia, eundem urendi modum commendat Albu- casis, quem in Epilepsia proposuit. At quum ater humor exundat;

*Lib. 1. ca.
8.*

Lib. 1. ca.

12.

exundat; cauterio quidem vitur, sed non simili. In epilepsia
 plura urit capitis loca crassiori cauterio; In melancholia,
 sincipiti primum derafo coronam lineam accommodat, in-
 quam butyrum ouile, uetustum, calens mediocri calore af-
 fundit, vbi refrixerit, detrahendum: singula dehinc debdo-
 made rursus eodem modo affundendum. tum præterea, si
 vrere animus sit, in ea ipsa parte puncta aliquot parua, &
 superficialitenuis imprimit. Quam curandi rationem cur tam
 diuerso à superioribus modo instituat, dignum est conside-
 ratione. Vt arbitramur, atrum & crassum humorem emolli-
 re ac concoquere, & cerebrum, vt ille ipse ait, humectare,
 primum studet. ouillum propterea butyrum sumit, vt quod
 ex humidiori animali emunctum, sicciorem & humoris &
 capitis temperiem magis emendet. vult autem vetustum, vt
 tenuius, & quod vim suam possit altius insinuare. Si huic
 præsidio malum non cesserit, transit ad vstionem, quam su-
 perficiariam tantum facit, non nescius atrum humorem, ut
 qui crassus & grauis est, non tam prompte in cutem trahi; sa-
 tisfacere autem, ut illius uapores in cutem trahantur & exspi-
 rent, si sola attingatur superficies. inurit autem paruis pun-
 ctis, vt paruis vlceribus minus interior calor minuatur, ad
 quem crassioris illius humoris concoctio. pertinet, sed fre-
 quentibus, vt frequentia exhalationem faciat maiorem, quã
 non facit magnitudine. Hæc urendi ratio est ab Albucasi
 proposita, a qua tamen recentior recedit obseruatio, vt &
 magnum vlcus & profundum, etiam cum cranei detractio-
 ne, melancholiam curasse depræhensum sit. Sic Guainerius
 non postrema inter nostrates superioris ætatis medicos no-
 tã, testis est, quã experti medici consilio vlcus ducati (vt ait)
 amplitudine in mulieris maniacæ sincipite potèntiali cauterio
 aperuisset; amota dehinc butyri vsu crusta, craneum in ex-
 trema lunã inclinatione (quo scilicet tempore magis quam
 alio maius est inter craneum & cerebrũ interuallum) terebra
 vsque ad membranã durioris conspectum detraxisse. hoc pa-
 cto, eo per mensem, ne occluderetur, seruato orificio, quã
 annos iam binos laborauerat, sanitati restitutam. Hæc ille.
 Qui etiam, quum carere omni suspicione, & periculo hanc
 k curationem

curationem scribat, plurimum tamen relinquit dubitationis. Quâdo enim e suturis & venæ & arteriæ, & duræ membranæ propagines plures prodeunt; præterea verò ipsamet membrana craneo proxime aduectitur, & ipsum contingit; cranei profecto in sincipite, id est, ad coronalem ac sagittalem suturam detractio graui periculo non vacat, & effusionis sanguinis ob violatas venas atque arterias; & doloris, imo & conuulsio nis ob membranam, quam cum caluaria violari necesse est. At verò vbi vstio; & ante vstionem diligens corporis vniuersi capitisque excrementorum euacuatio præcesserit, nihil est quod vereamur. nempe vstio, *inducta venis arterijsque crusta*, sanguinis effusionis metum auertit: & *corruptis vstione* ligamentis quibus craneo coniungebatur membrana, fit vt a craneo abscedat, atque ita nullo periculo craneum detrahat. At non leuis adhuc obstat scrupulus. Si enim abscedere a craneo membranam accidat, in cerebrum vt concidat, atque ipsum comprimatur necesse est, cerebri autem compressiones sensum motumque auferre, & affectum caro similem parere, non est obscurum. Sed in aperto fallacia est. non enim exigua caluariæ parte vsta, aut detracta, membranæ ligamenta tam multa vitiantur, vt concidere ipsam in cerebrum sit metus. neque igitur etiam compressionis periculum est.

Memoria læsa Curatio. Caput. VII.

SICVTI aliæ rectrices facultates, imaginatrix inquam & ratiocinatrix in melancholia sine memoratricis læsione læduntur; ita priuatim sine superiorum læsione memoratricem lædi accidit. In hoc affectu Albucasis post exactam purgationem, abrafo toto capite, occipiti sinapismum admo uet. Qui si non tollat vitium, tria in posteriori capitis parte proponit cauteria: quæ descendant, vt ait, a superiori parte capitis vsque ad oculi inferiorem. ita vt inter vnum & alterum cauterium sit digitalis crassitudinis interuallum. Quid hic velit, diuinandum. Quomodo enim in posteriori parte capitis erunt cauteria, quæ a superiori parte, id est, a vertice descendant ad inferiorem oculi? Meo periculo affirmari legendum,

*Lib. I. ca.
9.*

*Corruptus
Albucasis
locus.*

legendum, a superiori parte capitis versus inferiorem partem colli, ita vt in sagittali futura prima fiat vstio, duæ aliæ in osse occipitij recta ad ceruicem. Hanc autem curandi rationem non damnabit, qui in memoriam reuocarit, cum obliuionis causam frigidam maxime atque humidam esse intèperiam, ad quam tollendam calido & sicco remedio sit opus, quale sinapismus est, & cauterium. tum verò ex Arabum placitis, a quibus viri docti non dissentiunt, si modo rectrices facultates loco distinctæ sunt, memoratricis sedem, posteriorem esse cerebri partem. Non temere igitur ea in parte vstionem proponit. proponit autem tribus locis, vt pluribus meatibus frigidò succo largior exitus aperiatur. Addit etiam vbi hæc non conferant, vstionem in medio, idest, in vertice, vt puto: tum super duo cornua: quod etiam obscurum est, an cornua anteriora, vel posteriora, vel vtraque intelligat. ita ut quattuor crustas proponat præter eam, quæ in vertice. Sed duo tantum cauteria velle, facit vt iudicem, quod in aliorum affectuum curatione, vbi quattuor vstiones quarit, explicat claris verbis, vt fiat super omne cornu. Duplicem ergo hic vult vstionem, & eam, vt arbitror, in posteriori parte ad superiora lambdoidis saturæ latera. quam profecto, si in hoc affectionis genere ad hæc præsidia transeundum sit, probabimus nos semper. fortasse etiam reliquis omissis, ad absumendum humorem obliuionis causam, sufficere posse sperabimus.

Lethargi Curatio. Caput. VIII.

Affinis deperditæ memoriæ affectus est lethargus. Cui curando veteres ignea præsidia extremis primū partibus ad calorē vigiliæsq; excitandas, tum vero capiti ad frigidā humidamque intemperiem corrigendam, ad extenuandamque pituitam admouisse apertum est. Aretæus primum actibus medicamentis vt genua & pedes illinantur, crura autem vetrica verberentur, docet. tum, si opus sit, limnestidis & euphorbij pares portiones cum vnguento leucino illinantur. optimum etiam esse ait, si scillæ crudæ laminis perfricentur,

1. de cura.
acut. cap.
2.

addit, si opus sit, cucumerem agrestem ex aceto tritum cum
 aqua sinapi portione admistum, imponendum: cauendo ta-
 men, ne pustulae, vulneraque efficiantur, quare, ut frequen-
 ter detrahatur cataplasma iubet, & obseruari num quid ho-
 rum accidat. Haec si non conferant, caput etiam detonsum
 deradi vult, & illi acia ad moueri, quale est ex limnestide,
 aut hydar, aut thapsia, aut sinapi humidum ex aqua cum du-
 pla panis portione in linteolo veteri illitum: quo detracto
 post horae spaeium spongijs calidis foueatur caput. Non dis-
 similiter Paulus in principio, crura; vbi statum materiam ac-
 ceperit, caput integit *sinapismo*. Commodare autem fe-
 morum quoque rubificationem scribit. Sed & Trallianus
 crura pituitam, perficit oleo siccionio, interdum *solam*
 scillam ex aceto leuigatam ijs inducit, ad excitandum. Quod
 si affectus sit contumax, capillos adimit, & caput vngit ijs,
 quae exasperare ac vellere cutem possunt, vna cum castoreo.
 Probauit & Actuarius sinapismum, cum in cruribus, tum in
 capite: praeter sinapismum ualde desiccantia capiti admo-
 ues, qualia parantur ex nitro. Sic Aetius in diurno iam affe-
 ctu, de rasis capillis sinapismum ex caricis & sinapi aceto mace-
 rato, capiti admouet. Et Celsus quoque sinapi conferre ait ad
 excitandum hominem naribus admotum, & ad morbum
 ipsum propellendum, capiti frontiue impositum. Quum
 haec ueteribus lethargi per ignea praesidia curatio fuerit, ui-
 detur mirum, cur in tam graui affectu leuissimum in hoc
 genere remedium attigerint: cur Aretaeus caueat, ne tale id
 sit, quod pustulas uel ulcera in cruribus efficiat: cur, cum
 sinapi panem, quo scilicet eius uis retunditur, commisceat;
 cur per horam tantum detineat; Cur etiam Aetius sinapi ex
 aceto maceratum, idest, leuiter exasperans proponat. tan-
 demque cur eorum nullus, ac ne quidem Albucalis de cau-
 terio meminerint. quod alioqui aetate nostra adeo in hoc
 morbi genere aestimatur. Caterum, quum lethargo, qui
 ex pituita in cerebro putrescente ortum habet, continua con-
 iungatur febris; continua autem febre laborantibus propo-
 siti authores etiam sinapismum interducant: nihil admiran-
 dum est, si in hoc affectu, in quo etiam si adsit febris legē
 tamen

Li. 3. cap.
9. & li. 7.
cap. 19.

Lib. 1. ca.
 14.

Lib. 4. me-
th. med. c.
2. & libr.
 10. *med.*
coll. c. 13.
Lib. 6. ca.
 3.

Lib. 3. ca.
 20.

tamen ob morbi violentiam (præceptum enim est, & qui intra septem dies iugulat) præterire, frigiditatemque atque humiditatem calfacientibus desiccantibusque corrigere necesse est; cautius id ac moderatius ut fiat, proponunt. propterea igitur a violentiore sinapismo, quale est, quod uellicas & ulcera excitat, cauent; ne cerebrum, & per ipsum corpus uniuersum immoderatius incalescat. Cur autem cauterium præterierint, alia est ratio. Quum enim cerebrum non secundum sinus tantum, sed etiam tota sui substantia putripuita in hoc affectu imbutum sit; tunc illi prospiciendum est & per ea consulendum, quæ in intimam usque eius substantiam uniuersæ uim caloris, ac siccitatis inferant. hoc uero, exiguum cutis ad craneum usque unctionem unam, aut etiam plures, efficere posse, a ratione alienum est. Quod si superflui etiamnum humoris illius euacuatione opus esse dicas; quam excitare per ulcus cauterio inductum liceat; apertum est, nihil nisi post crustæ casum, id est, post dies fere septem euacuari, nullam autem illi, quod per cauterium euacuatur, cum immensa copia humoris, qua cerebrum scatet, comparisonem esse. Conferre igitur in hoc affectu cauterium, nulla docet ratio. ut propterea falso sibi persuadeant, qui eius opera eos euasisse affirmant, qui post ipsum euasere. Potest quidem repentinus ex candente ferramento dolor sopitum hominem excitare; at curare non potest, nisi id quod intemperiem corrigit, atque superuacuum humorem absumit. id quod, nisi præsidia alia antea effecerint, irrita sit futura omnis, quæ ex cauterio spes concipitur.

Paralysis curatio. Caput. IX.

AD capitis uitia paralysis pertinet, quæ apoplexiam maxime sequi solet. crassa materia, quæ ad neruorum originem impacta, obstructionem, sensus & motus corporis uniuersi corruptricem pepererat, attenuata; ac relicto capite in spinæ neruos, nunc alterius tantum lateris, nunc utriusque diffusa. Vnde impeditur earum partium motus, ad quas ij nerui distribuuntur. Huius igitur curandæ ratio eadē fere,

Li. i. c. 10. fere, quæ & in apoplexia ponitur ab Albucafi, quamuis diuersa occasione. Namque in apoplexia ad materia, quæ in cerebellum iam effusa erat, deriuationem, ac euacuationem; in paralyfi verò, ad illius, quæ continenter in spinam influit, reuulsionem. Addit in paralyfi vstionem ad tres priores cervicis vertebra, & rursus quatuor ad vertebra dorsi. nec iniuria. Nempe, quia paralyfis est humore nervos imbuente, vbi non cesserit alijs praesidijs malum, opportunum remediũ est vstio, quæ robur affert parti; & relicto vlcere exitum inutili humori parat. Vrit autem colli primum, mox dorsi vertebra, sumpta a parte affecta indicatione, a colli enim vertebra in brachia; a dorsi, in inferiores partes nervorum deriuatio est. vt propterea, non temere, prout vitium sese diffuderit, parti, vnde vitium prodit, consulatur. Prætereundum non est, quod vbi vstionis vertebra dorsi meminit, vult altius cutem exuri. ratio est, quod illic cutis crassior est, quam in partibus superioribus.

Stuporis Curatio. Caput. X.

PERTINENT huc etiam stupor ac tremor, quæ partibus interdum corporis aliquibus priuatim accidunt. Qui affectus, vbi alijs non cesserint praesidijs, curantur ab Albucafi vstione per ferramentum. Stupori ergo consulit, vsta stupidi loci cute, non profundius; ne (vt puto) nervorum propages sub cute disseminatæ violentur. neque leuius tamen: quia affectus qui curari non potuit dissipantibus admotis; minus superficialia vstione curabitur. Post vstionem non diutius trahit vlcus, sed iubet, vt cures vnguento, tetrapharmaco scilicet, quod alias proposuerat, donec sanetur. arbitror, verius, ne diuturnitate vlceris insitus parti calor sponte imbecillus, infirmior reddatur. Subdit stupori manus ac pedis aliquando curationem esse vstionem factam ad vertebra, a quibus nervorum origo est, qui in eas partes feruntur. Hoc vero Galeni imitatione in lib. de affect. locis.

Li. i. c. 56.

Tremoris

IN tremore idē author idē proponit præfidiū. dicēs. quādo alicui accidit tremor ex frigiditate in nervo, aut ex febre quartana, aut alia causa, tunc oportet, vt cauterizes. Quo loco dubitatio est, an rigore intelligat, qui quartana febre laborātib; in accessionum initijs sæpe violentior accidit; an verò symptoma illi feбри succedaneum. Quod posterius intelligat, tum id suadet, quod tremorem proponit, non a quartana solum, sed ab alia etiam causa. tum quod ad rigorem accessionum, præterquam quod nouum esset remedium, adhiberi etiam tunc temporis id nullo modo fortasse posset. Rursum tamen quartanis succedere tremorem partis alicuius cū nervorum refrigeratione, inauditum est, & Hippocrati dissentaneum, qui quartana laborantes non valde conuulsione corripit ait. nempe terrenus ac crassus ille humor, qui quartanas febres facit, non facile in nervos recipitur, vt conuulsionem faciat. Quæ res quum ita habeat, quomodo ergo idem humor tremorem pariat, qui est affectus musculorū per nervos? Cæterum, an, quos in accessionibus tremores vehementius exercent, ita, vt eorum vires prosternant, illis post accessionem, & opportuno tempore, vstionem proponit facile. Quicquid autem sit, quum tremor affectus sit nervorum dorsi, non temere ad dorsi vertebrae, quatuor quinqueue, crūstas, singulis vertebrae vnā inducit; vt impactum nervis humorem dissipet, & illis det robur. Vrit etiam stomachum, id est, ad cartilaginem ensiformem, eo forte consilio, vt, quum in tremore hoc, totius thoracis concussio fiat, nervis cum thoracis musculis parte vtraque ad sua principia contractis; vtrisque consulat, facto humori nervos replenti, ad eam maxime partem, in quam vtrinque veluti in centrum, sit concursus, perspiratu.

Li. i. c. 56.

5. aphor.

70.

Distortio oris Curatio. Caput. XII.

AD Paralysem distortio quoque oris refertur, sed non omnis, sit enim non ex paralyse tantum, sed etiam ex
con-

conuulsione, quae *κωνικός σπασμός* dicitur. Quum autem haec
 causam habeat nunc repletionem nunc siccitatem, apertum
 quidem est, in ea, quae sequitur siccitatem, vt recte admonet
 Albucasis, nullo pacto conuenire cauterium, cuius est, vt ex
 siccet, sed opportunum esse, vbi conuulsio sit ex repletionem,
 quemadmodum etiam vbi sit ex resolutione. Consensus igitur
 est Rhasis, Auicennae, Mesuae, & Albucasis vbi oris di-
 storsio ex conuulsione quam plenitudo aut resolutio pepe-
 rit, alijs praesidijs non cedat, transeundum esse ad vltionem
 perferramentum. Sed haec, quo nam loco fiat, non conueniunt.
 Reliqui venas vrunt post aures. Albucasis id praeterit, & v-
 sionem proponit primam sub cornea capitis, tum aliam in
 tempore, ac tertiam apud laborum coniunctionem. Apparet
 etiam uarietas de latere. Albucasis in opposito vrere videtur,
 his verbis, & pone cauterium tuum ex contrario partis in fir-
 ma. quoniam mollificatio non accidit, nisi in parte, quae ap-
 paret sana. Contra nullus aliorum, quos diximus, oppositi lateris
 meminit. Neque id ratio dicitur. Quando in antiqua affectio-
 ne, non deriuare, aut reuellere; sed ex ipsomet aperto loco
 euacuare, appositum remedium est. Verum, quid hac de re
 statuendum sit; petere ex re ipsa oportet. Laedi potest facies
 ita, vt pars eius vna laesa sit, altera illaesa; aut, vt vtraque sit lae-
 sa. Laesio autem est nunc conuulsio, nunc resolutio, ita vt
 nonnunquam pars vna vel altera, aut resoluta sit, aut conuul-
 sa; nonnunquam vtraque conuulsa, vel vtraque resoluta. Sit
 igitur ut dextra pars resolutione laboret, primum, ut ipsius
 musculi superfluo humore irrigati, sponte sua in sinistram
 laxentur, necesse est. Accedit huic inclinationi musculorum
 sinistrae partis actio; qui feriantibus contrariae partis muscu-
 lis, a quibus veluti in aequilibrio tenebantur, contrahunt se
 versus sua principia validius, dextramque partem sinistram
 sum iam inclinantem magis etiam ad se trahunt. Sic tractis
 versus sinistram partem buccis; oreque propterea ea ipsa in
 parte hiante, esse huius partis vitium videtur, quum tamen
 malum vere sit in dextra. Huic igitur affectui, quando iam
 stabilis, & aduersus aliorum praesidiorum vim contumax est,
 si consulendum sit, partem certe quae agra est, licet non ap-
 pareat

Lib. I. ca.

7.

9. ad Man

for. ca. 12.

3. Can. F.

2. tr. I. ca.

16.

Cap. de tor

tura lib. I.

cap. 7.

pareat ægra; inurere opus est; vt humor, quo madet, absumatur. Non in contrario igitur infirmæ parti latere, sed in eodem prorsus inducenda est crusta. At Albucasis inurendum ait ex contrario partis infirmæ, quia mollificatio est in parte, quæ sana apparet. Affirmatim meo periculo, partis infirmæ nomine scriptorem hunc partem hoc loco intelligere, quæ infirma videtur, & est tamen sana. vt propterea partem quæ sanæ contraria est, & uere ægram exuri præcipiat. Et de proposita quidem varietate sic statuendum censemus. At cur alij post aures, Albucasis alijs locis vstionem proponat, non obscura est ratio. Cum oris distortionem, de qua agimus, alias atque alias simul partes accedit laborare. Vitiuntur aliquando muscoli palpebrarum & narium, aliquando etiam mamillarum: semper autem afficitur buccarum & labiorum musculus, qui ex spinæ regione toti cuti, quæ circa collum est, in orbem, tenuis, membranofus, ac latus subtenditur. pro varietate igitur partium quæ afficiuntur, urendi quoque loca varia occasio est. & sicuti in simplici buccarum & labiorum distortionem vstio venæ post aures, quam alij proponunt, esse ex usu potest, ad humoris exitum, quo latus ille musculus ad aures pertingens madet; ita huic ipsi vstio quoque ad labiorum coniunctionem ab Albucasi proposita, erit vtilis. vbi autem frontem, palpebras, naresue attingit vitium, conueniet vstio in tempore, atque supra aures. Recte ergo omnes. Sed sunt tamen quæ sic scribit Albucasis, obscurissima. Canterium primo proponit factum ad radicem auris. mox vrendum ait in directo extremitatis auris superioris, sub cornu capitis parum. At radicem auris nos quidem, non superiorem, sed inferiorem eius partem potius appellandam dixerimus, vbi maxillarum est coniunctio. Non vnum ergo circa aures canterium proponere videtur, sed duo. Non secus uero etiam inuolutum est, quod dixit de vstione ad tempus. Prius enim vrendum ait parum infra tempus, mox vero, in tempore. Sed vere totum de tortura oris caput in Albucasi corruptum esse valde suspicamur. Quod ad opus tamen pertinet, sicuti buccarum motus ex lato est colli musculo, cuius progressus maxime est ad inferiores aurium partes; ita palpebrarum & narium,

rium, ex positis supra aures musculis). Non inuile igitur futurum sit in contumaciori distortionem, ad eam cavitatem, prope aurem urere, vbi maxillarum est connexus, quam hic author radice nomine fortasse intellexit: nisi etiam vtere malis post aurem, vbi crassior vena excurrit. Vbi autem vitium ad narium quoque ac palpebrarum musculos sese extendit, tunc & in sagittali supra aurem, & ad tempus, in utili humori parare exitum licebit. Sed quid est, quod prius scribit vrendum paulo infra tempus; mox, vrendum in tempore? An vrendi principium esse debet ad temporalis musculi finem; sed cauterij tractus desinere debet paulo infra tempus? Innuat hoc quidem, quum cultellari ferramento cauterium fieri iubet in tempore, longitudine pollicis, ita ut duci quodam modo lineam velit a tempore secundum auris longitudinem, quæ ad latum colli musculus illic pertingat, vbi is in anteriorem faciei partem primum peruenit. nempe linea quæ a tempore ad hanc partem recta excurrat, trium fere digitorum latitudinem id est, pollicis longitudinem explet, quam ille proponit. Non prætereundum, quod cultellari ferramento crassiusculo vtitur, & superficiariam vstionem vult fieri, quæ cutem vix mediam perstringat. Nempe non temere. Eiusmodi ferramento est opus, ad spacium, quod longitudine pollicis proposuit, vno tactu vrendum. crassiusculum autem quærit, vt quod non fecerit, & vti superficiem iubet, ne arteriarum propagines aliqua eam in partem disseminantur) vrendo violentur, cum sanguinis effusione periculosa, & insiti caloris subiectarum ac vicinarum partium damno. Sane autem Mesues in huius affectus curatione, si vstio post aurem eiusdem lateris non contulerit, vti etiam nunc consulit ad vtrunque vertebrarum latus. ita ut nunc vnum, nunc duo, nunc tria fiant vtrinque cauteria, quod intelligendum est de primis colli vertebris, ad quas latus musculus extenditur.

Destillationis curatio. Caput. XIII.

PRÆTER proposita capitis vitia, quæ ad proprias ipsius facultates pertinent, accidit illi frequentissime, ut secundum.

cundum eas quoque labore, quæ spectant ad nutritionem. Nempe scaterere caput ob malam concoctionem inutilis succi copia solet. a qua innumera inferioribus partibus sunt mala. In hoc igitur affectu, quum frigidam humidamque sequitur intemperiem, sicuti sinapismo recte usos fuisse ueteres constat: ita illud Galeni exemplum de calida & sicca, admirationem fecit Tralliano. sed ea de re satis, supra. Quod huius loci est, quæ de capitis dolore antea sunt proposita, exundantem in capite humorem spectant. ut propterea hoc ipso in loco, ubi de superflua eiusdem copia agitur, non dissimilis curandi, vrentibusque præsidij vtendi ratio conueniat. nihil ut propterea a nobis priuatim de vltione in destillatione quærendum sit: sed ab ijs quæ de capitis dolore sunt proposita, repetendum. Nunc priuata capitis partium vitia prosequamur.

Oculorum affectuum per ignea præsidia curatio. Et primum suffusionis. Caput. XIIII.

FVERE cauteria in oculorum quoque & coniunctarum illis partium vitij alicuius apud veteres vsus. De oculorum affectibus Hippocrates in libello de visu, agens, ubi oculi corrumpantur, cyanei repente euadentes, eorum non esse ait sanationem. at, quum multo sensim tempore corrumpuntur, colore maris infecti; corrumpitur autem alter tantum, tunc & purgat caput, & venas vrit. vrit vero etiam & caput purgat, ubi, medio inter marinum & cyaneum colore afficitur. Subdit palpebris interiori parte, ferramentis non admodum candentibus adhibendam vltionem. Hæc, quum apud eum scriptorem legatur, de corrupto oculo, quam eius partem affici, & quo affectu affici intelligat, quas etiam venas vri velit, & quem vsum in proposita oculorum corruptela, palpebrarum vltio habere possit, satis obscurum est. Sed agere quidem illum de suffusione, uerisimile est, in qua, pupilla ob morbum, alieno inficitur colore. At si de suffusione agit, quod cyaneo colore præditam incurabilem dicit, consentire non videtur Auicennæ eam quæ aerei coloris est, curabilem existimanti. Verum suffusiones, non absolute omnes

*Lib. 3. f. 3.
tr. 4. c. 18.*

84 De Igneis medicinae praesidijs.

cyanei coloris, incurabiles ille statuit, sed quæ repente fiunt, & cyaneo simpliciter sunt colore, nempe, qui ad nigrum vergit. mox enim, quæ medijs sunt inter cyaneum & marium coloris, & quæ sensim fiunt, ita ut multo tempore fiant, & si unus etiam tantum oculus corrumpatur, curare tentat. Nempe, quæ sensim fiunt, humorem a quo fiunt, non conferim irruere, significant; ita, ut eius impetu propter coloris mutationem; pupillæ neque dilatatio neque disruptio succedat. quæ etiam coloris sunt non plane attri, non etiam humorem a quo fiunt, atrum esse indicant. & in quibus alter tantum oculus corrumpitur, ut minus uniuersalem in capite, minusque potentem esse causam fluxionis, ostendit, ita faciliorem esse curationem. Ceterum, si in suffusione, venarum vstio est ex usu, quas venas vrere oportet? Docet id Cornelius Celsus, venas adurens in temporibus, non tam venas, ut puto, quam arterias intelligens, per quas scilicet uapor atque humor qui in oculum fertur, in medio itinere interceptus perspiret. Quæ de palpebris Hippocrates subdit, ut certum est ad suffusiones non pertinere, sed ad pilorum inuersionem, aut palpebrarum crassitudinem, de qua illic paulo post verba fiunt; ita corruptum esse eum locum, & aliqua deesse plane significant. Sed redeamus ad suffusionem cuius gratia Albuginalis vstionem proponit, primum in sincipite; uim secundo in tempore, vno aut altero, ut affectus vnus aut alter est oculus. Quomodo autem in temporibus urendum sit, explicat. nempe ut venas atque arterias omnes, quæ sunt sub cute, abscindas cum cauterio. Sint autem cauteria longa in latitudine temporum. Subdit etiam admouendum cauterium in ceruice sub duobus ossibus, duobus cauterijs ultime productis. Quæ quum scribat; ut de sincipitis vstione nihil dicam, ad fluentis a capite in oculos humoris reuulsionem apta & consueta; at quod secundo loco secari atque vri venas & arterias omnes in tempore sub cute iubet, cauteriaque vult esse longa in latitudine temporum; horridius certe est, ac fortasse inutilius, quam ut facile prudens medicus admittat. Certum est, quod suffusionem facit, non multum esse; id vero à superioribus & interioribus capitis partibus maxime à quibus

Li. 6. ca. 6.

Li. 1. c. 13.

à quibus oculus nutrimentum suscipit, defferri. Quorsum ergo cum tanto sanguinis fluxus, & refrigerij capitis, atque animalium omnium facultatum hebetudinis, periculo, uenas & arterias temporum secare omnes, atque urere? Non igitur uenarum uisionem, cui Celsus quoque subscribit, damnarim, atqui neque omnium uisionem, neque ullius longam, ut ait, præsertim arteriæ, sectionem laudo. Quod autem postremo scribit, urendum in ceruice sub duobus ossibus, duobus cauterijs ultime productis; quæ nam sint illa ossa duo in ceruice, obscurissimum est; quid etiam sit cauteria ultime produci, obscurius. Fortasse duorum ossium nomine, postremum caluariæ terminum intelligit, ubi maxillarum sunt confinia, & ubi aures desinentes cavitatem relinquunt, quam latini fontanelam aurium vocant. Nam ex ijs aliqui ad oculorum vitia, & dentium dolorem, illic quoque vrunt. In ea igitur parte, postremo loco, quum alia non contulerint, uisionem hanc proponere licet existimare. atque hoc fortasse est quod inepte interpres conuertit, ultime produci.

Lib. 6. c. 6.

Oculorum obscuritatis curatio. Caput. XV.

VT visum adimit suffusio, ita neruorum visiorum obstructio, quæ ἀμβλυωπία primum, postea, quum confirmata est, ἀμάωρα σις græcis, nostris autem gutta serena appellatur. Hoc in vitio retrahendi eius humoris gratia, qui ad neruos illos a capite fluit, occipitio laqueum nostri adhibent, aliquando non sine fructu, ad initia, post totius tamen corporis exquisitam euacuationem. nempe ubi stabilis iam noxa est, qui confluit humor, uix vlla potest ratione retrahi; uixque a calore dissipari; præsertim, quum multus, lentusue aut crassus est, & a capite inutilibus succis pleno eorum aliquid in infirmam partem continenter affertur. Nos uirginem Deo sacram aliàs hoc affectu plures iam menses occætatam testitui meminimus fortuito tegulæ in capitis uerticē lapsu. Fracto enim capite usque ad primam caluariæ laminam dum curatur uulnus, cum eius curatione pristinam uisum recepit. ut propterea uisionem uerticis hoc in affectu conferre

Summa 4.
de morb. ca
pitis. de cu-
ra catarrhi
cap. 4.

conferre posse exultimemus. quæ inter prælidia pituitæ capi-
tis fluxum sistentia maximè ab omnibus, & a Mesue præci-
pue commendatur. aut etiam si uterque affectus sit oculus, ad
utrumque coronalis futuræ latus, binis utrinque a summo ver-
tice digitis. ut duobus apertis meatibus plus humoris edu-
catur.

Fluxionis in oculos, & lachrimarum curatio.
Caput. XVI.

Lib. 6. c. 2.

Li. 7. c. 7.

Li. 7. c. 93

DI V E X A T oculum non raro inutilis humoris copia,
nunc pituitosi, nunc alterius generis; nunc craffi, nunc
tenuis, nunc misti: nunc sensim, nunc confertim irruentis,
nunc in oculo retenti, nunc effluentis. cui vetustas vstione
etiam consuluit. Est autem ex capite potissimum eius fluxio,
vt merito omnes in adhibendis capiti præsidijs consenserint.
Sic Paulus, humore in oculos ex supernis influente, fuisse mo-
rem docet præarsis circa verticem partibus, illic per cauteria
nucleoformia cutem inurendi vsque ad os: elapsa autem
erusta os deradendi. aut vrendo sic agendi, vt parua squa-
ma excideret. ita enim facilem fieri humoris perspiratione.
Seruabatur autem vlcus aliquandiu, postea ad cicatricem per-
ducebatur. Hoc ipsum remedium in tenuis quoque pituitæ,
cursu, quem *επιρροαν* Græci, nostri fluxum lachrimarum
vocant, proponit Celsus. Nempe quum hic humor fluat a ve-
nis nunc interioribus, quæ scilicet inter membranam & cal-
uariam excurrunt, nunc exterioribus, quæ sunt inter cutem
& caluariam; si priori quidem modo sit fluxio, adhiberi il-
li remedium non posse: at si posteriori, alios sectione, alios
vstione in sincipite esse vsos. Secabant aliqui cutem in sum-
mo vertice; & post sanguinis fusionem os ibidem adurebāt.
Adurebant etiam venas, cum in temporibus, cauendo ne sub-
iecti muscoli qui maxillas tenent, læderentur: tum quæ in-
ter frontem & caluariam sunt, altius vrendo, vt squama ab
osse recederet. Sic etiam Aphros ait verticem vsisse vsque
ad os & recessum squamæ. Non secus in mista fluxione. Sic
enim apud Aetium Leonides. Soleo (inquit) vbi mista est
fluxio,

fluxio, & a fronte, & a musculis temporum, iuxta paruos oculorum angulos temporibus vicinos, supra fines superciliariorum, crustas inurere per cauteria nucleiformia; id vehementer cauens, vt ne temporum musculos contingam. At in fluxionibus a sincipite, constringo collum, & vasa in fronte magis eleuata noto. & hæc ipsa præarsis pilis inuro. Sic alij, vt idem author notat, in diuturnis oculorum fluxionibus, barbaricis legibus seruientes, tempora aut per pharmacum, aut per ischas inurebant: alij ferro vtebantur. Meminit & Paulus sectionis atque vstionis vasorum in temporibus, ubi calida & acri fluxione cum dolore, oculi tentarentur, ita ut ad curandam humoris cuiusque in oculos fluxionem, celebre fuerit remedium vstio. Ad eorum igitur æmulationem Albucasis quoque primum in sincipite, temporibus, & occipitio, non secus atque in suffusione: tum præterea, si contumacior sit affectus, utriusque supercilij extremum ad anteriorem angulum paruo ferramento adurit. Quo loco posterior vstio, ut media est inter euacuationem ex loco, & deriuationem in proxima, ita vim habet desiccandi strenuam: nisi modo a superioribus partibus fluxio continenter feratur. Si ea enim perstet, tantum abest, ut harum partium vstio sit profutura, ut dum fluxionem adiuuat, sit maxime obfutura. Vnum hoc loco de temporum & partium oculo vicinarum vstione prætereundum non est, quod Aetius notat. Qui enim pharmaco & profunda vstione immodeste utuntur, ij una cum alienis humoribus, naturales quoque consumunt; atque ad extremam siccitatem oculum deducentes incurabilem morbum reddunt.

Li. 7. c. 89

Li. 1. c. 14

Vitij palpebræ & inferioris quum attolli non potest, curatio.

Caput XVII.

SVNT etiã partiũ quæ oculũ circumstant, affectibus cauteria ex usu. ac primũ in palpebrarum vitijs, & superiorum, & inferiorum. accidit enim illis aliquando, ut uel superior demitti, uel inferior attolli non possit, ut oculus contegatur. posterius vitium quod *ἐκτροπίον* uocant, quum com-

mitti

mitti inferior palpebra superiori non potest, sit, uel adnata in palpebra, carne, quæ sui grauitate illam foras euertit; uel paralyfi, uel cicatrice. Quæ ex cicatrice est, curam non admittit. Quomodo enim quod iam occalluit, dissoluatur? Quæ ex carne & paralyfi, detracto eo quod superfluit, curabitur. Celsus, qui cicatricem & paralyfim solas huius affectus causas uidetur agnouisse, illam dicens uel ex mala esse curatione, uel ex senectute; in hac quæ ex senectute est, id est, ex paralyfi ab humore palpebram præter modum imbuen- te, uisione curat: id totum (quod scilicet affluit) tenui ferramento extrinsecus adurens. eodem exemplo quæ ex carne est, uisione corrigetur.

Palpebræ superioris paralyfis curatio. Caput. XVIII.

Li. I. c. 16

SUPERIORI contrarius affectus est, quum palpebra superior ob paralyfim demittitur, ita ut attolli non possit. Eam Albucasis cauterio lunari, id est, curuo, ad palpebræ conuexitatem accommodato urit, ut superficiem tantum, & per transcursum tangat. Proponit etiam, si uelis, id est, si opus esse multa desiccatione uideas, ut uras supra utrumque supercilium, ferramento, quod totius supercilij longitudinem æquet; ita tamen, ut tempora non attingas. Quæ quum præcipiat, apertum quidem est, posteriorē uisionē, quæ humorē in palpebrā confluentē retrahendi uim habet priori alteri præmitti oportere, quæ receptum iam in ipsa succū exhaurit. Urit autē supra utrumque superciliū, licet unius tantum oculi palpebra laboret ad maiorē humoris ab offensa parte retractionē. cauetque ne tempora attingas, ob musculū temporale, qui in superciliorū est confinio. In palpebræ uero ipsius uisione, recte superficiē tantum, & leuiter attingendo urit. nepe, quum superior palpebra triplici ueluti substantia contexta sit, externa cute, intima membrana adnatæ oculi tunicæ continua, & musculosis fibris inter cutē & membranam positis; altiori uisione, musculosas illas fibras, palpebræque motū omnē obedi- di necesse esset. docte igitur tertiā palpebræ partē, id est, cutem tantum ueendam Albucasis admonet.

Palpe-

Palpebrarum crassitudinis curatio. Caput. XIX.

CRASSES CVNT etiam nonnunquam palpebræ immoderatiùs: qui affectus ab Hippocrate in libello de visu, sic curatur, vt superuacaneam primam carnem interiori parte abscindat, tum ferramento non admodum ignito adurat. Cui hoc curationis genus tentare animus est, oculum antea coto ovi albumine imbuto munire oportet. tum moderata manu quod superfluum est, parcius secare: mox post sectionem vrere, aut potius vna opera ignito scalpello secare simul & adurare. addito dehinc butyro crustæ casum, & curationem reliquam accommodatis medicamentis, ita, ut ne lædatur oculus, moliti. Nos uero, si quis etiam sectionem prætereat, & solam adhibeat vstionem, tantumdem præstiturum existimamus, mihi enim cum molestia. Vrendum vero, si quis etiam secuerit, ferramento est vix candente, ne plusquam sit opus, detrahatur. ferramentum autem parti urendæ magnitudine, figuraque esse debet prorsus accommodatum, ut rem vnica opera absoluat.

Pilorum in palpebris inuersionis curatio. Caput. XX.

ALIVD palpebrarum vitium est pilorum inuersio. fit hæc, vel quia summa palpebræ cute relaxata palpebra procidit; vel quod sub naturali pilorum ordine alius ordo subcrefcit. Sic fit, vt pili in oculum conuertantur. Vstionem proponit Celsus fere hoc pacto sublata palpebra sic, ut molesti pili in conspectum curantis veniant, ferream acum latam candentem; primo ad angulum vnum, dehinc secundo ad eam quæ sequitur partem, ac tertio ad alterum angulum leuiter ac quasi per transcursum admouet, vt pilorum radices omnes emoriantur. superponendum dehinc est medicamentum, quod inflammationem prohibeat; atque, vbi crustæ exciderunt, ad cicatricem est perducendum. Sic fere is hoc vitium ferramento ignito curat. Addit & curationem per suturam, de qua etiam Paulus: qui illaqueationem quoque; vbi

M pauci

pauci sint pili qui oculum pungunt, proponit. sed hæ nostri non sunt hoc loco instituti. Redeamus ad vstionem, primum que ad Paulum, qui, si non multi sint pili, atque, si illaqueationi aliquis præferat vstionem, vrendi modum docet. nempe euerfa (vt fit a Celso) palpebra, extractoque per euulsorium forcipem pilo, tenui ferramento calfacto locum tangit, unde pili sunt euulsi. Sic densata cute, fit, vt non alius pilus nascatur. Cæterum huius affectionis curationem per cauterium Albucasis quoque proponit, sed non eandem. Nempe munito prius interiori parte oculo, toto, oui albumine imbuto, ad inflammationem arcendam, non interiori parte palpebræ, vt Celso, sed exteriori, cutis superficiem prope pilos, accomodata figuræ ferramento exurit; ita vt ad exultionem contrahatur palpebra, & ad eius contractionem pili quoque intro in oculum nutantes extrorsum conuertantur. Subdit

Li. 1. c. 17.

Cap. 18.

etiam vrendi modum per medicamentum, de quo & Paulus. Quem tamen, quando ob medicamenti acrimoniam oculis infestam, & periculum, ne vstione modum excedente palpebra decurtata committi alteri non possit, quod vitium *λαγδ-εθαρ, μov* uocarunt, veteres omnes, Paulo auctore, reprobant. eo fit, ut tutius nos quoque ignito ferramento agi posse existimemus. si modo diligenter temperata manu vstio fiat, caueaturque, ne quid præter modum exuratur. quod enim palpebræ detrahitur, nulla restitui potest curatione.

Cels. lib. 7.

c. 7. Aet. l.

7. c. 186.

Paul. lib.

6. c. 22. ac.

6. met. me.

di. c. 5.

Anis. li. 3.

f. 3. tr. 3. c.

15.

Alb. l. 1. c.

19.

Aegilopis curatio. Caput. XXI.

ORITVR inter nasum & magnum oculi angulum nõ raro abscessus, quem ægilopem vocant, qui male curatus nunc in fistulam abit, per quam pituita assidue destillat; nunc degenerat in cancrum, aliquando ex aso osse ad nares vsque penetrat. Secundi vitij curatio periculosa, quæ mortem maturat. tertij superuacua, neque enim sanescit. primi autem quum sit fistula, post irritum medicamentorum opportunorum vsus, Celso, Aetio, Paulo, Actuario, Aui-cennæ, & Albucasi, per vstionem curatio est. quanquam eam non tentat Paulus nisi corruptum sit os. si enim in corruptum

tan-

tantum radit. Si os non veniat in conspectum, aperiendum
 ut veniat. exprimenda sanies moderate. tum muniendus ocu-
 lus spongia frigida aqua, vel coto albumine pillijue mucca-
 gine imbuta. de hinc firma manu, ne aberret, atque in ocu-
 lum labatur, cauernulae fortiter apprimendo, & ita ut obli-
 que in ulceris cavitare partes & maxime supernae tangantur,
 ferramento bene ignito uehementer adurendum est, ut ex of-
 se squama abscedat. Post unctionem admouent alij mel cum
 lenticula uel malicorio, aut exsiccantia alia; Albucasis autem
 statim eorum ex butyro, sed post triduum exsiccantia. qui
 etiam, si intra quadraginta dies non sit absoluta curatio, exu-
 rentia corrodentiaque ad mouet, vt os detergatur, quod de-
 hinc abradit. Celsus eiusmodi medicamentis non utitur ni-
 si vbi os carie sit vitiatum, quanquam & tardius & imbecil-
 lius sic agi putat. & haec fere curatio est per ferramentum; In
 cuius figura differunt, quod Paulus oliuari utitur, quali scili-
 cet alios quoque vsos putandum: Albucasis vero vult esse vel
 instar cannae pennae vulturis, vt ait, id est, vt intelligo, fistu-
 lam ferream, vel stylum solidum. vterque non temere. ad exi-
 tum enim saniei, fistula; ad valde exurendum vt os abscedat,
 stylus, & solidum ferramentum opportunius. Altera vren-
 di ratio proponitur ab Actuario, cuius Albucasis quoque me-
 minit, ex plumbo fusio. De ea sic Actuarius. Quidam diuiso
 angulo, ossi qua parte perforatum est, angustum infundibulum
 admouent; ac plumbo liquefacto infuso vrunt; atque ita opti-
 me sanant. Quae uerba dubitationem pariunt. Si enim qua
 parte perforatum est os, ea infunditur plumbum, nonne in na-
 res excipi, & eas exuri necesse est? Sed sic intelligenda res est.
 Secto angulo, ubi eius sectio facta est, illic infundibulum ad-
 mouendum; quod super osse quiescat. & plumbum infundē-
 dum. Sic Albucasis locum fistulae ait findendum, & in fissura
 ponendum infundibulum. Docet Albucasis, ne quid praeter-
 eat, plumbi infundendi pondus esse oportere drachmae unius
 & quod supra admonuimus, firma manu, aegroque immoto
 agendum ne in oculum liquefactum plumbum fluat. Sane si
 affectus propositis praesidijs non curatur, consulit Albucasis,
 ut os nasi aperiatur, quo in nares pus expurgetur, quod reme-

diu quum non explicet, cauterione, an alio modo tentandū non improbandū censemus eū, qui candente ferro in meo id aggrediat, adhibita diligentia, ne interiores nates uiolentur.

Aurium affectuum curatio, & primum oclusi earum meatus, & surditatis. Caput. XXII.

EST etiam, ut in aurium affectu aliquo usque usque ueniat, nempe ubi, uel natura, uel cicatrice oclusus sit auditorius meatus. Id quod, quum accidit, specillo explorandū, aliter ne, an in summo sit obex. Quum alte est, Paulus conandum suadet, ut tenui aliquo instrumento aperiatur. Celsus tamē attingi non oportere admonet, ne sine effectus spe distentio neruorum, & mors sequatur. Quum in summo est, uel adu-
Li. 6. c. 23
Li. 7. c. 8.
 rente medicamento immisso, uel candente ferro aperiendum, uel etiam scalpello incidendum. Curandum de hinc ulcus, & inducenda cicatrix praesidijs opportunis. Paulus linamentum ex linteo obtortum ad amplitudinem meatus in aqua madefacit, & chalcitidis puluere obuolutum indit. sic astringens quidem, sed acris & urentis facultatis medicamentum aqua temperans. Non importunum hic erit mel cum ure uisio quod non adeo acre, neque etiam exurit. est autē astringentis particeps, atque ad cicatrices in siccioribus corporibus inducendas optimum. Sane ad hunc locum pertinet auditus quoque difficultas aduentitia. in qua ueteres & cæpa, & porro, & sinapi, nasturtio, veratro, siluestri cucumere, castoreo, alijsque ignem referentibus medicamentis non abstinere.

Sed hæc notiora sunt, quam ut nunc fusius prosequamur.

Illud tantum adnotare hoc loco

placet,

quod ad aurium surditatem partem hydrargyri usum, quod capiti

aliquando admouent, nulla unquam

ratione curari.

*Auricularum perforatarum doloris curatio.**Caput. XXIII.*

ACCIDIT aliquando ijs, qui aurum in auriculis gestant, ut aures, ubi perforatæ sunt, illic assidue doleat. ut occludi foramen illud præstet, quã perpetua molestia cruciari. Occludendi rationem docet Cælius, nempe trajiciendo id cauum candente acu celeriter, ita ut eius ora leniter exulcerentur, tũ uero id admouendo, quod purget ulcus, & carne repleat, & cicatricẽ inducat. scilicet callus uetusti orificij non alia promptius ratione detrahitur quam ustione. quod si magnum sit foramen, ut esse ijs solet, qui maiora pondera auribus gestant, incidendum aut ad extremum auriculæ, scalpello. dehinc prioris meatus oras exulcerãdas, (id uero est ad auferendum callum) tũ suendum, & medicamento glutinandum. Cur non uat secundo loco, sed scalpello secet; in causa est, ut detracto callo statim suere liceat. non proponit scalpellum priori loco, quod eius in angusto loco nullus esse usus potest.

Li. 7. c. 8

Aurium interioris doloris curatio. Caput. XXIII.

MAIVS negocium facit aurium doloris interior. Huic, quum a frigida causa est, si ceteris præsidijs non cedat, Albucasis ustionem proponit ferramento ignito tenui, quod punctum uocat. ita ut in exteriori auris circuito, procul tamen ab ipsius auris radice, ex igne circiter decem crustæ imprimantur. Cur caueat radicem aurium, aperta est ratio. In eam enim partem neruorum, arteriarumque, ac venarum propages disseminantur, quibus uisus dolor, aut decedente crusta sanguinis exitus compressu difficilis facile succedat. Cur exteriorem potius, quam interiorem auris partem uat, non uideo. Certe interiori cum interioribus consensus est maiori, quam cum exterioribus.

Li. 1. ca. 6.

Narium polypi, & ozæna curatio. (Caput. XXV.)

2. de mor-
bis.

Li. 6. c. 25

EST in narium quoque vitijs aliquibus non parui usus
 vstio: nempe in polypis, atque ozænis. Polyporum diffe-
 rentias quinque Hippocrates recenset. primam in qua ex in-
 termedia nasi cartilagine mollis veluti gurgulio dependet:
 secundam, qua nasus duris carnibus impletur: tertiam in qua
 ex cartilagine mollis caro rotunda prominet: quartam in qua
 circa cartilagine durum est quiddam, quod contractum
 lapidis edit strepitum: quintam, qua ex obliquo cartilaginis
 veluti parui cancri nascuntur. Ex his secundum polypum,
 qui ex dura & crassa carne est, vrit: vrit & quartum qui ex
 duriori est materia, sed fisso prius per scalpellum naso. vrit
 & quintum, cuius affectus est veluti paruorum cancrorum.
 primum & tertium curat eo tantum extracto quod superfluum
 est, non vrit, quod eorum materia mollis est, & non adeo ab-
 latu contumax. Sic ille, difficiliore tantum polypos curans
 vstione: eam in alijs prætermittens, ad cuius exemplum Paulus
 quoque illos tantum curari ait vstione, qui maligni, sed ali-
 quid est quod hoc loco de ferramentorum genere atque usu
 obseruemus. Hippocrates in secundi polypi curatione fistu-
 lam naribus immittit; tum ferramenti tribus aut quatuor v-
 rit. ita, vt non proxime sed fistula interuentu vrit. Paulus ve-
 ro oliuaria cauteria absolute proponens, cædens ferrum affe-
 cto loco proxime adhiberi oportere innuit. Cæterum quali
 ferramento sit in polypo opus, e re ipsa petendum est. Quum
 narium meatus angustiotes sint, quam vt in ijs medici manus
 libere versari queant, in quibus etiam immisso urente ferro,
 vel titubante manu, vel tantillum contrahente se se agro, præ-
 ter rem vri locum qui non debet, & non vri quem oporteret,
 sit facile; opportune quidem fistula in eius partis affectibus
 ad operationis firmitatem, & loci securitatem vsu venit: ma-
 xime autem, quum paulo altius vitium sedet, quam vt pos-
 sit aut bene conspici, aut tractari diligenter. Recte igitur
 fistulam proponit Hippocrates. quæ, quum frigida naribus
 immittatur, quia candentis ferri vim frigiditate sua retun-
 dit,

Liber Secundus

dit; recte tribus quatuorue ignitis ferramentis rem aggreditur, vt multiplici tactu rem perficiat, quam vnico absoluere non licet. Sed non aliter quoque Paulum vssisse arbitrandū, quam per fistulam. licet enim eius aperte non meminerit, proponens tamen, non cauterium, sed cauteria, id ipsum innuit; quod pluribus non est opus cauterijs, si nudo ferramento ignito vtaris. Figuram autem is oliuarem deligit, id est, crasso ac retuso capite, vt vbi in affectam sedem peruenerit, seruans insignem, cum crassitudine vim ignis, id tantum quod viciatum est, valide exurat, reliquis illæsis. Sane autem de Hippocrate illud scitu dignum est, qualinam vtatur ferramento in quinto polypo, cui veluti parui cancri insunt. tum vero, quorsum in quarti sectione nasum fecer. Verum, si cuti in quinto non alio modo quam immissa fistula vrendum esse loci angustia docet; ita quod in quarto nasum, prius quam vtrat, findat, non alia est ratio, quam vt affecta sedes possit conspici, & durior materia commode, admoto nudo cauterio, tractari, atque auelli: quanquam, si de eo authore dicere aliquid liceat, reliqua quidem non ausim improbare: at unius morbi gratia nouum alium morbum induci, atque ob polypum secari nares, probare non audeo; non ignarus nasum sectum, præter deformitatem quæ relinquitur, difficile etiamnum, quia cartilaginosis est, coalitum admittere; fortasse etiam ob inductum dolorem, atque imbecillitatem maiorem imbecillæ iam parti comparatam fluxiones facilius aduocare, non sine periculo, ne in cancrum longe deteriorem affectum, in quem procliuis est, aliquando incidat. In ozænis autem vbi medicamentis non cedant & si apud magnos chirurgos quomodo manu curandæ essent, non reperisse Celsus affirmat, quosdam tamen adhibuisse vstionem ille ipse est author. eam vero duplicem, atque eandem quæ in polypo secundo, & quarto, Hippocrates proponebat. vstionem scilicet per fistulam tenuibus ferramentis; & nasi sectionem atque vstionem. Harum prior nostro etiam tempore aliquando vsurpatur. posteriorem non immerito ob causas modo propositas suspectam habeas. In eius locum quum emdicamentis alijs hoc vitium non superatur, non contemnendam curationem

Li. 7. c. 11

96 De Igneis medicina præfidijs.

tionem facit oleum ex calcantho; eo autem commodiorem quam per ferramenta, quo facilius potest stylus, cui obvolutum sit cotum, eo oleo imbutus semel atque iterum admoueri.

L. I. c. 15

Non prætereundum in ozænæ curatione Albucaſim tria proponere cauteria, quæ poſt opportunum medicamentorum uſum, poſt diligentem purgationem, ante autem expoſitas nunc uſiones, in uſum ducta, ad humores qui in nares confluunt, ab ijs retrahendos conferre poterunt. Sunt autem ea in ſincipite vnum, & duo ſupra ſupercilia, non longe a capillorum conſinio. Primum oliuari ferramento, vt moris eſt, imprimi: reliqua, clauili, id eſt, longiuſculo, ac latiuſculo, atque ad inurendæ partis conuexitatem accommodato, talis ſcilicet figuræ eſt caput clauis, quo ſoleæ iumentis affiguntur; de quo etiam ſupra. Excurrere autem in eius loci ſuperficie ſolet in ſignis arteria, de qua propterea non temere admonet cauendum, ne violetur ob periculum effuſionis ſanguinis, importunamque caloris natiui proximarum partium maxime autem narium refrigerationem; ad quein pertinet poſt putrè ablatam ozænæ materiam, malam parti impreſſam qualitatem ſuperare.

Fiſurarum in labijs curatio. Caput. XXXI.

VBI labijs fiſſuræ curatu contumaciores inciderint, non leue cancri periculum ob earum molliem imminet. propterea vruntur & a Celſo, & ab Albucaſi. Vrunt autem tenui ferramento ſpathæ ſimili, non imprimendo, ſed quaſi tranſcurrendo, ne plus quam oporteat, vratur. Reſtitui enim quod de eorum ſubſtantia perit, non poſteſt. ob id noſtri ne nimis urant, ignita argentea, aut ærea lamina vruntur.

Li. 7. c. 9.

Li. 1. c. 20

Oris

Oris ulcerum curatio. Caput. XXVII.

VSTIONIS etiam vsus est in ore, vbi insignis alicubi putredo consistat, quod docet Galenus sexto de compositione medicamentorum per loca; atque in dentium dolore & motu. Sic Hippocrates secundo de morbis, vbi sub lingua vel ad palatum consistens tuberculum ad pus venit, perurit. Sic Celsus, si quando vlcera oris cancer inuadat, vbi nihil medicamenta proficiunt, vlcera ait esse adurenda. Quum autem aliquid in ore vrendum est, bene munienda sunt, & contegenda circumlita vrendæ parti loca. vrendumque quoad nullus amplius humor defluat, & locus videatur *κεκαθαρευμένος*, purgat^o, nõ, vt legitur, *κεκρατημένος*, superat^o, nullo sentu. Sic Galenus de ferramenti vsu in putribus oris vlcerebus. In cuius locum nostri oleo sulfuris, aut calcanthi, nunc cum melle, nunc simplici, non contemnendo, neque tar-

Cap. 2.

Li. 6. c. 15

Galenus loci emendatur.

Vna corruptæ curatio. Caput. XXVIII.

INTER oris partes, quæ vbi corruptæ sunt, vstione curantur, vna est: cuius vrendæ rationem proponunt Paulus per medicamentum, Mefues per ferramentum. hic verò paulo quidem difficilius, sed fere hoc modo. ferrea fistula paranda est iustæ longitudinis, cuius extremum ita recuruum sit, vt illam vna partem exacte, & non maiorem, quam quæ corrupta est, possit excipere. In illud igitur extemum corrupta illa pars excipitur: tum per reliquam fistulam (quam scilicet sinistra manu tenebis) aureum scalpellum acutum & ignitum in extremum vsque fistulæ immittes, & imprimes, vt vnam in ea comprehensam abscindas simul & vras, abluendus dehinc locus aceto est, in quo alumen & gallæ sint incotæ. & reliqua curatio prosequenda vt in vulnere. Qui hunc curandi modum sibi proponit, cauere debet, ne nisi quum prorsum ea pars corrupta & emortua est, abscindatur: prætereaque, ne radicitus, si fieri possit, vna auferatur, quum

Li. 6. c. 31

N fieri

98 De Igneis medicinae praesidijs.

fieri possit, ut superstitite aliqua eius parte, natura ad id muneris, cuius gratia instituta est, utatur.

Dentium dolentium & nutantium; nec non & gingivarum corruptarum curatio. Caput. XXIIX.

1.6.23

ADMITTUNT vstionem etiam dentes. In quorum dolore Albucasis duplici modo vrit: butyro feruenti primum, tum etiam ignito ferro. Nempe, styli extremum, cui inuolutum sit cotum, butyro vaccino feruido intingit, quod denti festinanter admouet, & non prius aufert, quam refrixerit. repetit autem hoc semel atque iterum, ut ad dentis radicem penetret vis ignis. Modus vero per ferramentum hic est. Primum lanam, aut cotum, quod frigidum butyro sit illitum, supra dolentem dentem ponit, tum illi ferramentum fistula crassa, ne obuias partes oris laedat, munitum, valide imprimit. neque nisi quum refrixerit, aufert. Si prima vstione ignis vis ad dentis concavum non penetrarit, repetere iubet eadem die, vel postera, ut penetret. Post vstionem repleri vult os butyro, & post horam expui. Sic ille curationem docet per ferramentum. In qua quod dolenti danti cotum, seu lanam butyro, & eo frigidum, quum vsurus est, superponat, quod tendat, non satis patet. ex eo enim retundi, & extingui candentis ferri vim necesse est: quam ille imprimi in dentis imum querit. Arbitramur igitur, quod legitur super, ab auctore scriptum circa, munienda enim sunt vicinae denti partes, ne temere vrantur. quarum vstionem etiam si praecauere immisso quoque per fistulam crassiorem ferramento, nititur; ut securius euitentus, efficiet proximarum partium propositum munimentum. At vero vrantur etiam gingivae, non modo sui ipsarum gratia si putri vlcere affecta sint, sed etiam ubi dentes nutant. Cuius affectus duplicem causam proponens Celsus, radicum dentium imbecillitatem, & gingivarum arefcientium vitium, in utroque candens ferrum gingivis admoueri ait, leuiter attingendo, non ut insidat. Albucasis vero humectationem gingivae causam existimans, non gingiuam, sed dentem immisso per fistulam cauterio, inurit, tantum, &

toties

*Correctio
loci Albu-
casis.*

Li. 7. c. 12

roties imprimens, vt ad dentis radicem peruenisse ignis vim
 ager percipiat. Post vstionem Celsus gingiuas melle & mul-
 so eluit. Albucaſis aquam ſalis ore detineri per horam iubet.
 & hoc pacto firmari dentem, gingiuas ſtringi, & putrem hu-
 morem abſumi pollicetur. Dignum hic obſeruatione eſt,
 quod Celsus gingiuam areſcentem vrit, dignam potius quæ
 maſeſiat, ſi iam exaruit. Sed, licet areſcentibus quoque
 gingiuis moueri dentes ſoleant, maxime in ſenibus, quod
 Galenus quoque teſtatur; eas tamen nullo pacto firmari poſ-
 ſe, idem eſt author. arbitrandum igitur Celsi locum corruptū
 eſſe, legendumque, non areſcentium gingiuarum vitium, ſed
 marceſcentium. nempe gingiuæ corruptæ, ſeu marceſcentes,
 non ſine fructu exuruntur.

5 de cōp.
 med. per
 loc. ca. 9.

Celsi loc^o
 corrigitur.

Strumarum curatio. Caput. XXX.

CAPITI continua eſt cernix. In cuius quoque vitijs
 vſtio vſu venit. Inter eius affectus numerantur, ſtrumæ
 & ſcrophulæ a noſtris dictæ, licet hoc tumoris genus alijs
 quoque in locis naſcatur. Haſ Aetius vſtorijs medicamentis
 curari ſcribit. Albucaſis vero, quum ſunt coctū contumaces,
 celeriter coqui ait cauterio, cuius, (ſi ex obſcura peruerſaque
 eius loci peruerſione certi aliquid licet colligere) hæc uide-
 tur eſſe deſcriptio. Ferramentum proponit fiſtulare, quod
 amplitudine tumoris magnitudini reſpondeat, vtrinque autē
 apertū ſit, ut expiret fumus, illud ergo ignitum ſemel, biſ ſue
 admouet, ut ad tumoris imūm pertingat. addit dehinc cotū
 butyro illitum ad crūſtæ caſum. curationem reliquam tetra-
 pharmaco proſequens ex linamentis, donec ſanentur. Hęc fe-
 re iſ de choeradum uſtione. Quibus, quod ex uſtione cele-
 riorem illarum maturationem hic author pollicetur, ſuſpe-
 ctum nobis ſemper fuit, vt ſuſpecta etiamnum eſt earum diſ-
 ſectio, quam poſteriores proponunt. ſunt enim partes, quibus
 hoc vitium inſidet, natura vſque adeo imbecillæ, & tam exi-
 guo calore, ut, ſi ulcerentur, præter periculum effuſionis ſan-
 guinis, atque amiſſionis uocis, ob corruptelam uenarum, ar-
 teriarum, ac reuerſiuorum neruorum, quibus frequenter im-
 plicantur.

Li. I. c. 5

Li. I. c. 24

Li. 5. c. 28

plicantur, vix unquam sanescant. Illud præteriti non licet, quod scribit Celsus, huius vitij curationem quosdam adurentibus quoque & exedentibus medicamentis tentasse. sed siue ferro, siue medicamentis curetur, postea etiam iuxta cicatrices resurgere, & longo spatio derinere.

Ramicis gutturis curatio. Cap. XXXI.

Li. 6. c. 38

Li. 7. c. 13

ADNASCITVR ceruici tumor quoque alius magnus, subalpinis gētib. maxime familiaris. ἰσχυρὸν ἰσχυρὸν ἰσχυρὸν græci, nostri gutturis ramicem vocant. dūm vt Paulus notat, generum, aliter ancurismata referens; alter veluti steatoma. Hoc secundum Celsus non vni steatomati, in quo aliquid se po simile est, comparat; sed quatuor facit differentiarum. modo enim carnem hebetem, modo humorem aliquem mellis similem: nunc etiam aquam, & aliquando pilos minutis offibus immistos includi scribit. Qui ancurismati similis est, veluti desperatus, non est curandus, vt Paulus admonet: Celsus vero exurentibus etiamnum medicamentis curari posse ait, quibus summa cutis cum tunica exurit. ita enim legendū puto, non, vt vulgo, exeritur. Hoc factō, si humor sit, profluit; si quid densius, digitis educitur. tum vlcus linamentis curatur.

Celsi locus emēdatur.

Tetani curatio. Caput. XXXII.

Li. 4. c. 3.

ALIVD est ceruicis malum, & id quidem grauissimū. distensio illa stabilis, qua, nunc recta & immobilis ceruix intenditur, quam τετανον vocant; nunc scapulis caput, nunc pectori mētum adnectitur. illā ὀπισθότονον, hanc ἐμπροσθότονον dicunt. In eius curatione Celsus post alia præsidia, vbi dolor vehemens increseat, ceruici cucurbitas cum curis incisione admouet, ac ferramentis etiam, aut sinapi adurit. Quem autem in ceruice locum vras, aut quot crustas vras, non aperit. Verum, quum ceruix vertebris septem constet, ex nostris aliqui ad primam urunt vertebra, ubi hic affectus impēderit, nondum autem constitit. Quos ne probemus, id facit, quod

vltionē

uisione ad eam partem trahi humores necesse est, a qua retrahere priusquam inductum sit vitium, oportet. Cur non igitur, & quum imminet, & postquam etiam inuasit (multitudine tamen antea diligenter imminuta) quemadmodum in alijs a capite fluxionibus, sinciput uratur? Erit hæc quidam reuulsio quædam, & ad affectus initia utilis, ut fluentem, aut mox fluxurum humorem in contrarium retrahit; & ubi vitium iam constiterit, non inutilis, dum, etiam si nihil ab affecto loco detrahat, efficit tamen, ne in ipsum aliquid fluat, quod exasperet. Huic auxilio, si malum non cedit, ino vero, si acrius urgeat, ad primam vertebra, atque etiam ad sequentes, cutem superficie tenus exuri, sicuti in paralyti, non improbabile arbitramur.

Cervicis ac capitis partiumque aliarum inferiorum doloris curatio. Caput. XXXIII.

ALIVS cervicis affectus in libro de internis affectionibus proponitur, uisionem requirens, alias tamen, præter cervicem occupans partes, qui, quia obscurissime proponitur, integram ex eo loco sententiam afferre, & expendere, atque, ut licet, explicare, bene est. Hæc eius sunt verba. Resiccatur medulla spinalis maxime, quum venulæ ad medullam tendentes fuerint obturatæ, itemque ex cerebro accessus. Propter corporis autem afflictionem hæc patitur, & ægrotat. Resiccatur etiam a venere. Hæc igitur patitur, dolor acutus incidit ipsi in caput, & in collum, & in lumbos, & in lumborum musculos, & in articulos crurum, ut aliquando flectere non possit. Et stercus non secedit, sed sistitur & urinæ difficultate uexatur. Hic in principio quidem morbi quietius degit. Quanto autem magis tempus morbo prolongatur, tanto magis omnia dolent. Et crura uelut ab aqua inter cutem tumunt. Et ulcera a lumbis emergunt, & alia quidem sanescunt, alia uero nascuntur. Huic, quum sic habuerit, caput purgato hippophais succo, aut cnidio grano, corpore prius ualde bene foto. Vesperi post purgationem, ptisanæ duas heminas sorbeat, melle affuso. Vinum autem bibat album, molle. Postera

Altera die asininum lactis cocti, melle affuso, octo heminas exhibendas ipsi dato. si vero asininum non habeas, bubuli ut a caprini cocti tres semicongios, melle affuso. Et dum temporis opportunitas adest, lac bibat, sero & lacte utens per quinque & quadraginta dies. Cibis autem & obsonijs vratur quae maxime per aluum secedentibus. Vinum bibat album molle, mendesium. Quum autem crassissimus fuerit, in lumbos ipsius ab utraque ventriculorum parte crustas quatuor inurito, & in dorsum vtrinque quindecim, & in cervicem duas inter tendines. si enim vltio successerit, sanum facies. Est autem morbus hic gravis. *Hæc ille. quæ si expendantur, non vnum præbent dubitandi argumentum. Verum prætermissis reliquis, quæ ad nostrum de vltione negotium non pertinet, quum resiccationem medullæ proponit, tabem proponit. Quæ subdit, quasi eius symptomata, dolor capitis acutus, & colli & lumborum, atque alia, si tabem sequuntur, ariditatem sequuntur: & refectione opus habent, non autem euacuatione: etsi igitur & seri vsus hic ad tabem est opportunus; quo pacto tamen vel medicamenta, vel vltio conueniat, obscurum est. Caterum ita, vt existimamus, res habet. Duplex vitium proponitur, alterum vtilis humoris atque alimenti defectus; alterum inutilis succi affluxus. Defectus est totius corporis ariditas, quam maxime prodit carniū extenuatio circa medullam spinalem, quæ quum accidit, accidit, ob alimenti defectum, hunc proxime sequitur concidentia venarum, quam obturationem vocat. Illud autem certum est, per propagines venæ, quam sine pari vocant, & vertebrarum corpora, & spinalem medullam, & musculos qui illis adstant, nutriri. Per venularum igitur obturationem, harum in se ipsas casum, qui fit ob alimenti defectum; intelligit, addit obturationem accessus a cerebro. hoc vero ex eo pendet, quod in libro de principijs proponitur a capite venarum esse exortum, ita vt per obturationem accessus a cerebro, vniuersi corporis resiccationem significet. Ait autem hæc accidere propter corporis afflictionem id est, propter labores, & propter venerem. & hætenus de vitio ex vtilis alimenti defectu. Sequuntur mala ex inutilium succorum affluxu. non illa*

illa autem a superiori affectu, sed ab alia causa procedunt. acutus dolor capitis, colli lumborum, & musculorum, qui astant lumbis. itemque crurum tumor. quorum omnium causa est pituitosi humoris destillatio a capite, frequentissime tibi coniuncta. ab eadem causa est alui quoque astrictio, cuius meminit, & urinae difficultas: illud enim nouum non est, a pituita crassiori intestinorum cavitatem replente, exitum stercorum impediri, & eodem humore urinarios meatus obstruente, urinae accidere difficultatem. Addit etiam ulcera lumborum, quae quum humoris acrimoniam sequantur, possunt ex pituita ad lumbos putrescente habere ortum. *Hus ita positus, quomodo non importune tum euacuatio, atque vstio tum vsus lactis ac seri proponatur, apertum est. Ad defectum quidem utilis humoris, lac, serumque vtilia sunt: ad inuulsiu succorum affluxum reliqua.* Nunc ad vstionem redeamus. Non accedit ad vrendum hic author, nisi quum crassissimus aeger fuerit. Quid haec vox velit, ex eodem opere, non vno loco aperitur. nempe ad initia, in eius curatione, cui in pulmone arteria rupta sit, hunc ait quam maxime reficere oportere, quo quam crassissimus fiat, moxque lacte crasse factum. & in pectore, & in dorso vrendum. & in tertia tabe, de qua ante hanc quam explicamus sententiam victum instituens, ex crassi, ac lentis succi alimentis, iubet etiam carnes suillas edere, & seipsum vt crasse faciat aeger, quietem quam maxime agendo. Sic paulo post, crasse faciendum ait lacte, non semel. Instaurari ergo atque in meliorem habitum referri, vult aegrum, prius quam vtratur. Vstionem autem ita instituit, ut in lumbos ab utraque ventriculorum parte crusta: quatuor imprimantur. per ventriculos lumborum intelligens cavitatem quae vtrinque ad eorum latera spectatur. addit quindecim crustas in dorso, id est, vtrinque ad spinam. & duas in ceruice, inter tendines. Quo loco superficiales vstiones intelligere oportet: quales scilicet confirmatum iam in ijs partibus humorem absumere, & afferre ipsis robur possunt. non dissimili exemplo, atque in libro de aere aquis & locis, imbecilla membra exurere Scytharum fuisse morem, Hippocrates refert.

Thoracis vitiorum ac primo ulcerum in mammis curatio.

Caput. XXXIIII.

ACCIDVNT thoraci quoque vitia, quibus vltio co-
ducit. Inter caetera, foris non infrequens est mamma-
rum vlcus, tum cancerosum, tum phagedanicum. Diffe-
runt haec inter se, quod in phagedanico circumscritta vlceri
partes non ita durae sunt, neque venas vericolas habent, ne-
que vlcus ita ad fundum perreptat. *cedit hoc etiam medica-*
mentis. Opposita sunt in canceroso. Sic Aetius. Quare idem
author phagedanas curat labiorum cutis excisione, & vltio-
ne per ignita cauteria. Conducit autem in his vltio, tum
sanguinis effluxionem, quae earum partium sectioni facile
succedit, inducta crusta, cohibendo; tum id detrahendo,
quod in parte corruptum a sectione relictum est, & quod
sanum est, confirmando. De cancro autem praetermittere
illud non licet, tumorem qui ex atro humore fit in mammis,
ob humoris prauitatem mali semper esse moris. quare Celso
κωνίδες dicitur. hic in *ναρθηρα* degenerat, & occultus est
cancer. quum huic additur vlcus, fit *θύμων*. Solus tumor cu-
rationem recipit Celso. Sed illum discernere a carcinomate
nemo potest, nisi tempore, & experimento. Vbi primum
igitur id vitium notatum est, imponi debere ait ille medi-
camenta adurentia. Si leuetur malum, minuanturque eius
indicia, procedere curatio potest, & ad scalpellum, & ad
vltionem. Si protinus irritatum sit, scire licet iam carcino-
ma esse, remouendaque acria & vehementia omnia. A Cel-
so non discrepat Aetius canoros in pectore obortos, quem-
admodum, & qui in capite, collo, humeris, sub alis, & in
inguinibus, omnino incurabiles palam professus. Idem ta-
men ex Leonida curare eos, qui sunt in mammis, docet, sa-
nam ipsam partem supra canctum secando, & inurendo cau-
terijs, donec crusta inducta, sanguinis erupio sistatur, mox
iterum incidendo, & profundum mammae dissecando, &
inurendo; saepeque id repetendo; ad integram vsque amputa-
tionem: & post eam ad resiccationem vsque inurendo, ita

Li. 16. c. 4

Li. 9. c. 28

Li. 6. c. 44

ut, quum priores vstiones sistendi sanguinis gratia fiant, postrema sit ad omnes morbi reliquias abolendas. Sed & Paulus alios id ipsum curasse affirmat cauterijs consumendo; alios totam mammam secando atque vrendo. Ita quidem in proposito affectu vstione illos esse vfos constat, at an hoc præsidium adhibuerint antequam in cancrum tumor degenerarit, an postea, non constat. Verum, & si hunc affectum tunc solum curationem admittere scribit Celsus, quum nondum cancer factus est; eos tamen etiam, quum euasit in cancrum, hoc adhibuisse præsidium, coniecturam facit, & crebra sectio, atque vstio; & illud maxime, quod ad initia, quando tumor tantum se se prodidit, non facile sit ægris mulieribus persuadere, ut tam violentum remedium admittant: quod alioqui ulcerato iam malo, & grauiori reddito, minus sint recusatæ. Quicquid tamen sit, eius curationis ineundæ opportunum tempus esse statuendum est cum Celso, ad initia; priusquam malefica vis partem obtinuerit. Sic Albucasis de huius curatione agens, vstionem proponit, quando cancer est incipiens, ad ipsum cohibendum, circulare inprimis cauterium, quod tumorem totum ambiat, admouens: tum vero etiam in circularis locum, multis circa tumorem cauterijs agens. Addit fuisse aliquorum propositum profunde vrere in tumoris medio, quod ipse non probat ob vlcerationis periculum, ut se experimento aliquoties vidisse affirmat. scilicet, quum occultos cancos melius sit non curare, quam curare, ob vlceris periculum: curare qui iam vlcerati sunt, longe difficillimum esse statuendum est. Quando tamen tam pertinacem morbum his præsidiorum generibus expugnare veteres non destiterunt, quibus illos imitari libet, celerius, atque fortasse tutius agent, si abscissionem ignito cultro aggrediantur, ut simul & secent, & vrant. Aliquos etiã nos meminimus inducto ad mammæ basim vinculo, sensimque quotidie coarctato, oleoque quod sit ex calcantho illito, totam mammam paucis diebus adscidisse. non sine quidẽ magno & dolore, & vitæ periculo, superstitite tamen vita, & eius mali reliquijs abolitis. ut propterea statuere non satis audeamus, securiorne sit ueterũ an recentiorũ ausus ad curadũ.

*Carnium circa costas contusarum curatio.**Caput. XXXV.*

AD exteriores thoracis partes pertinat etiam contusio carniū, quæ circa costas sunt. quæ aliquando ex ictu, vel casu accidit. mucosa enim in attrito loco caro euadit. quæ, siue circa os talis maneat, os corruptioni reddit opportunum: siue etiam non circa os, sed inter ossa, nempe in musculis intercostalibus, *causa est vt locum dolor exerceat.* Hic igitur vbi *deligatione, diligentiaque alia* mucis ille non fuerit *resiccatus*, ferramentum candens Hippocrates adhibet; illi quidem contusioni, quæ circa os, ea *obseruatione*, ne os calefiat; illi autem, quæ in intercostalibus musculis accidit, non quidem in superficie, sed cauendo etiam ne candens ferrum vsque ad interiora penetret. Et hæc quidem maxime, vbi diuturna fuerit contusio. At non minus tamen *vrere oportet in contusione recenti*, vbi ad os pertingat, etiam priusquam os sit corruptum. urendum autem nunc vna, nunc pluribus inductis crustis, prout exiguum, aut oblongum est quod in osse attollitur. Hæc Hippocrates in libro de articulis. Quo loco, si quis querat, quomodo mucos ossi adhærens ferramento candente exsiccare possit sine ossis calore; arbitror, ea ratione fieri id posse, qua in hæmorrhoidum curatione. nempe ferramento non profus candente, & opera repetita. Sic enim, quæ ossi caro infidet, sensim citra insignem calorem resiccatur. Admonet etiam cauendum, ne candens ferrum ad interiora vsque penetret, non immerito. nempe membranam costas succingentem violari periculum est, ac spirationem lædi, & de vita ægrum proxime periclitari.

Salt. 3. te.
63.

Asthmatis & tussis curatio. Caput. XXXVI.

3. tard. pa.
cap. 1.

EXERCERE solent interiores thoracis partes alia vitia. Inter quæ est tussis, & asthma. In asthma Calius Aurelianus aliquos credidisse ait *urendum thoracem*, uel *caput*:

put: quid autem ipse agendum putet, non explicat: ut neque etiam quam nam vstionem intelligat. per sinapismum, an per cauterium. Vere autem, quum & tussis & asthma parte maxima ex capitis destillatione ad pectus sinapismum & capiti, & thoraci inducere mos fuit veteribus, ita in asthma dum adhuc fit, & nonndum plane constitit, non temere iisdem partibus admoueri cauterium, rationi consentit, ad id quod influit reuellendum, capiti; ad id quod iam influxit, euacuandum, thoraci. Vbi autem constiterit, tunc quidem caput inurere, nullius sit vsus; thoracem inurere, alicuius. Propterea de fluente, adhuc humore agens Paulus, alios ait circa verticem capitis oliuaribus cauterijs ad os vsque adurere, & post crustam dilapsam os deradere. alios autem os exurere, ut squama parua excidat, quo illinc humorum in capite perspiratio ac euacuatio facilis contingat. seruare autem aliquandiu vlcus: tum ad cicatricem ducere. Non dissimiliter Aetius de consistente iam affectu agens, inueterato malo, & medicina omni frustra adhibita, ad vstionem confugiendum admonet. ita vero hic insistit, ut quindecim crustas inducat; nempe iuxta medium, commissuræ clauicularum vtrinque vnam; cum cautione tamen, admotis manibus & distenta cute, ne aspera arteria oblædatur. tum iuxta soporarias colli arterias paululum sub mento, duas paruas, vtrinque vnam, quæ cutis tantum superficiem attingant; & duas rursum sub mammillis intra tertiam ac quartam costam. & rursum alias duas retrorsum inter quintam & sextam costam. atque item in medio pectore vnam & super cartilagine[m] ensi formem vnâ & duas inter octauam & nonam costam, vtrinque vnam, sed & retro iuxta medium dorfi vnam, & paululum infra hanc, duas, ab vtraque vertebrarum parte. Admonet autem, ex his, quæ infra collum vruntur, latas, & neque in superficie, neque profundiores conuenire, vlcera autem crustarum diutius ut sint fluida, esse permittendum. Sic ille, qui cur tam diuersis, & tam multis locis vrat, apertum est. In asthma, & arteria aspera, & pulmones, & sinus interior thoracis, superfluo humore oppletus, imbutusque est. ad illum igitur vndecumque extrahendum, vrit primum ad interme-

Li. 6. c. 53

diu clavicularum spacium, quia ibi thoracis initium est, & ad soporarias arterias sub mento, id est, ad principium asperae arteriae. accedit mox ad thoracis partes varias, tum intermedias, tum extremas, tum ante, tum retro. ita ut exitus superfluo humori, quacunque licet particula affectae partis procuretur. Sane autem, quum tot locis vti consulat, ita intelligenda res est, ut non eadem die ubique, sed aliquo temporis spacio ad reficiendum interposito, nunc vno, nunc alio loco inuratur. Quod vero vstionem vult ad claviculas fieri tracta & distenta cute, ne aspera arteria violetur, obscurum est. Nonne distenta cutis tenuior redditur? & magis obnoxia, ut vis ignis penitus subeat? Sed intelligo cutem, vel digitis forcipeve aliquo sustinendam, atque ab aspera arteria eleuandam tantisper, dum vritur: vel contrahendam in locum qui est inurendus, ut crassior reddatur. Quod etiam subdit, paruas, atque in superficie, crustas ad soporarias arterias esse infligendas; reliquas vero quae sub collo, neque profundius neque in superficie; recte. Nempe cutis in collo asperam arteriam proxime tangit: infra collum superstat praeter cutem etiam thorax. Non altius tamen etiam in thorace urendum, ne violentur muscoli, e quibus thoracis motus dependet. Haec de asthmate. De tussi, sicut omnibus in more fuit, ubi ex contumaciori a capite destillatione fiat, eodem modo capiti adhibere praesidia, ut in destillatione; ita nullus thoraci exurendo locus fuit.

Thoracis suppurati curatio. Caput. XXXVII.

THORACI non raro accidit suppuratio ex pleuritide; de qua Hippocratis sententia est quinto Aphorismorum quod si in quadraginta diebus super purgatur, a die a qua facta est eruptio, cessat, sin minus, transit in tabem. sequitur etiam peripneumoniam, imo & externas causas alias, ut quarto Epidemiorum Philidis filio, cui factus ex casu est abscessus. & Maliensi, cui currus inductus supra costas eas fregerat, subsistente illi infra costas pure. sequitur etiam & exulcerationem arteriae asperae, de qua in libro de internis affectionibus

& causas alias de quibus libro primo de morbis. Quæcunque causa fuerit, ob quam sanguinem extra uenas effundi, & alicubi in thorace hætere accidat; corrumpi quidem illum, & in pus uerti necesse est. a pure autem ob acrimoniam exulcerantur pulmones, unde tabes. Danda igitur opera est, ne pus in pectore moram trahat. & solet quidem id musculorum thoracis facultas, ubi ualentior est, excitata tussi aliquando foras trudere; at non raro etiam id non potest. ut propterea illi a medico sit succurrendum, parato aliquo meatu per quod pus exeat. *Secundum* ergo, aut *urendum*. Recte igitur Hippocrates in *propositis exemplis* vrit: & sexto *Epidemiorum* tabescentes iubet statim *exuri*. & primo de morbis *suppuratos* pulmone si *urantur* aut *secentur*, priusquam diuturnum fiat pus, plerumque ait sanos euadere. & *secundo* de morbis in pulmone ac lateris tuberculo aut *secandum* ait, aut *urendum*, tum in pectore, tum in dorso. Quam autem non solum, *urendum* esse, sed etiam, quo loco *urendum* sit, necesse sit scire; libro de internis affectionibus hoc aperit, de peripneumonia, atque item de tuberculo in latere ubi ad pus venerint, illic *urendum* scribens, aut *secandum*, ubi affectio de se significationem præbuerit. Hoc vero quomodo intelligas *secundo*, & *tertio* de morbis docet. Aegrum dicens lotu multa calida, in sella firma collocandum, ita ut aliquis eius manus teneat, tu vero humerum concutias. in vitro enim latere affectio strepitum edit, illic *secandum*. Subdit, optandum esse, ut sinistrum occupet latus, quod affectus sit minus lethalis, nempe, quod quando robustiores sunt dextre partes, tanto etiam fortiores morbi in ipsis fiant. Quod si præcra-
situdine, ac copia humor non fluctuet, ac strepitum non edat, quo ipsum cognoscere possis, obseruandum, utrum latus magis tumeat, aut doleat, illic uero *secandum*, aut *urendum*, agendum autem in fine & retro tumorem magis, quam ante ipsum, ut pus facilem exitum habeat. Hæc ille: in quibus duo (licet fortasse præter institutum) præterire non possumus, quæ nobis non parum sunt suspecta. Quod primum ad sedem mali, & locum sectionis cognoscendam, humeri concussionem illam præcipit; non prorsum, probandum

dum dicas, quum ea non fiat sine aegri labore non paruo, neque sine spirituum agitatione, imo & humorum concitatione ac periculo, ne in cor, non sine praesenti uitae discrimine, pus repente irruat, alioqui etiam, alio indicio puris sedem cognoscere liceat, inducto thoraci, maxime ubi puris suspicio est, cataplasmate aliquo, ex terra figlina, aut erethria, ut ipse in tertio de morbis citato: & ad cognoscendam uentriculi suppuratione primo de morbis proponit, quo facta obseruatione qua parte id celerius arefcat, illic aperias, illic, n. & caloris maioris, & puris est sedes. Sed illud etiam mirum est, quod scribit, optandum esse, ut pus sinistrum occupet latus, quod affectus minus sit, lethalis. contra enim, cordis uicinia argumentum praebet maioris metus & periculi. neque morbi maiores dextris partibus accidere solent quam sinistris: neque si accidunt, magis debet uis morbi deterere, quam partium robur spem uictoriae polliceri. Sed regrediamur ad suppuratos. In his aliam posteriores urendi rationem proponunt. Aetius quidem post praesidia alia, si saepe puris collectio contingat, securius esse ait crustas per cauteria pectori in orbem inurere, ut in anhelosis. de qua re quia proxime dictum est, ubi de asthma, nihil est nunc, ut plura. Illud tamen hic dissimulandum non est, quod non semper, ubi puris collectio in pectore contingat, urendum statim proponi: sed ubi saepe contingat. scilicet praesidium hoc maximum non usurpandum, nisi quum maxime puris copia ur-

Li. 8. c. 65

get, quae alia ratione euacuari non potest. Sane uisionem in affectu de quo agimus, Paulus quoque probat. Eius haec sunt uerba. Efficacissimum remedium pectore suppuratis ustio inuenta est. Oportet igitur aristolochiae longae radicem oleo imbutam, istis per ignita cauteria ustis, in crustas inde re, quarum una inter clauicularum commissuram inusta sit, sursum tracta cute; duae uero paruae paululum ad mentum a soporarijs arterijs procedendo: duae sub mammas, grandiores aliquanto, inter tertiam & quartam costam: aliae duae inter quartam & sextam paululum nutantes retrorsum: & aliae in medium pectus: & aliae supra os uentriculi. Tres autem a tergo, una in mediū dorsum: & ab utraque spinæ parte duae, eam

Li. 8. c. 53



eam quæ in dorso est transgredientes, non ita in summa cute. Alij vero (velut etiam Leonides ait) cauterio oliuari igni candefacto per intermedium costarum spacium, qua parte abscessum esse notarunt, usque ad pus vstionem fecerunt. Quidam etiam chirurgia in his vti ausi fuerunt, per medium quintæ ac sextæ costæ, transuersa, sectione paululum suboblique cute diuisa, atque ita per acutum cultellum membrana costas succingente perforata, & pure excreto. Verum & hi, & qui per ferrum in profundum vsque urunt, aut statim mortem inducunt, vitali spiritu una cum pure euacuato, aut fistulas incurabiles efficiunt. Hæc ille. In quibus quod primum oportere ait aristolochiæ radicem oleo imbutam ipsis (nempe suppuratis) per ignita cauteria vstis, in crustas indere, difficile est. Quorsum enim vsto loco aristolochiam inducere, quæ potenter exsiccandi vim habens, etiam oleo illita, crustæ casum (quem emollientibus adiuuare oportet) adiuuare nihil potest, qui tamen celerrime procurandus est, ad puris exitum, crusta ueluti operculo impeditum? Verum locum hunc corruptum esse, fuit ab alijs quoque ante nos obseruatum. Quare aliqui ijs sublatis, quæ de aristolochia, legunt. oportere igitur cauterijs ignitis crustas excitare: vnam quidem inter clauicularum commissuram, & reliqua. Cæterum veram huius loci castigationem debemus Albucasi, qui de vstione in pleuresi frigida, verba faciens, ueteres cauterium induxisse aristolochiæ radice animaduertit. sumpta enim radice vna aristolochiæ longæ quo fieri possit longiori, crassitudine digitali, eaque oleo submersa, & igne accensa fuisse adurendum vlos. crusta primum una, qua parte furculæ collo sunt continuæ; tum duabus paruis ad arterias soporarias sub mento. tum duabus inter quintam & sextam costam uersus dorsum. & rursus in medio thoracis una. & supra uentriculi os una, dehinc tribus in dorso, vna loco inter spatulas medio: binis infra hanc utrinque una: subdit, urendo, manu non esse premendum. Sed cutem transcurrendo leuiter tangendam. Addit etiam alios ferreum cauterium tenue, radij instar, ignitum, inter costas adegisse vsque ad abscessum, & saniei exitum, ut in

iecinoris tumore. Quos non probat, ob periculum subitici interitus, aut fistulae incurabilis. Haec qui cum ijs conferat, quae Paulus, parum differre, & ex Paulo Arabem transtulisse fateatur, quanquam in titulo error est, quem ad pleuritidem frigidam in scribit. Sed vere, quum de saniei extractione verba faciat, de suppuratione agere certum est. Pauli igitur locus ex hoc castigandus est. ita ut, non ignito ferramento prius, sed aristolochiae radice oleo illita (ut ignem facilius concipiat) & ignita crustas induci iubeat: hanc materiam proponens, ut imbecillioris & caloris & actionis, quam sit ferrum. Sic Hippocratem veteresque alios nunc buxeis fulis, nunc fungis, nunc lino crudo esse ad vrendum vsos in superioribus admonimus. Sed ut ad rem redeamus, in hoc affectu alios secasse simul & vsisse Albucasis admonet. nempe qui ferreum cauterium radij instar ignitum inter costas ad locum vsque immiserint ubi collectum est pus, atque ad exitum puris, ut in hepatis tumore. Quos non probat ob subitici interitus, aut incurabilis fistulae periculum. quod periculum Paulus quoque ex profunda tam sectione quam vsione minatur: ab Hippocrate etiam libro de articulis animaduersum, quum in attritione ad costas cauet, ne ad interiora ferrum penetret. Non praetereundum, Celsum quoque in ijs qui pulmone ob destillationem a capite, exulcerato, phthisi laborat, vsionem probare. nempe exulcerandum dicens ferro candente, vno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammae utranque, item sub imis ossibus scapularum; sic ne sanescere vlcera permittamus, nisi tussi finita. Quae licet dissimili qua reliqui numero, non dissimili tamen consilio proponit. Sed habent haec non contemnendam dubitationem. Quo pacto enim pus, quod in thoracis cavitate continetur, per crustas illas, non perforata succingente costas membrana possit expurgari? Verum reuocandum in memoriam est, licet, quod crassius continetur in thorace, non alio modo quam tussi, excerni possit per inflata tamen vsione vlcera, tenuius aliquid posse resudare, non illius modo, quod iam pus euasit; sed illius etiam, quod ob prauam qua thorax totus infectus est, qualitatem, continenter in pus degenerat.

Suppurati iecoris curatio. Caput. XXXVIII.

AD hunc locum pertinet suppuratio iecoris. In qua, si dolor sit cum gravitate, carnosam eius partem affectam esse indicatur; si sit acutus, in tunica magis pus est. In hoc affectu Celsus aliquos vssisse author est. modum vero vrendi docet Paulus, qui cauteria oliuaria tenuia, exacte can defacta paululum supra inguen ad hepatis extremum immit ti iubet, vna crusta incusa; vt tora perusta cute ad tunicam vsque progrediendo, pus excernatur. Quibus nos ambiguos reliquit. Primum, quod, an vstionem proponat, pure ad tuni cam tantum, non etiam ad corpus assistente, non explicat. tum illud inuoluit, quod de cauterijs. non vnum enim pro ponit, sed plura. Et vnus tamen tantum crustæ meminit. Ve rum siue ad tunicam, siue ad corpus quoque iecoris pus con sistat, tantumdem proderit, quum nihil inter tunicam & cor pus intercedat. Et licet plurium cauteriorum meminerit, non ad plures tamen crustas, sed ad eandem, si forte prius caute rium non penetrarit, exacte inurendam proposuisse illum ar bitrandum est. Sic Albucasis hunc ipsum transferens vnus tantum vstionis meminit. Qui etiam non cuius, sed expertif simo curationem hanc esse credendam admonet. quam ipse quoque malit prætermittere.

Li. 4. c. 8.
Li. 6. c. 47

Li. 1. c. 30

Humeri luxati curatio. Caput. XXXIX.

THORACI iungitur humerus. In cuius etiamnum vitijs aliquibus veteres vstione vfos constat. Excidere enim humeri articulus potest, nunc in superiorem, nunc in inferiorem, nunc in priorem, nunc in posteriorem partem. sed frequentius luxatur in inferiorem. In quo affectu, quum veteres aliqui locum vrent, qui à superiori commissuræ parte est, & eum, qui à priori, & qui a posteriori; commodam quidem fore earum partium vstionem ait Hippocrates libro de articulis, si humeri caput in superiorem, priorem, aut posteriorem partem venisset. at quando in inferiorem est la-

sect. 1. te.
41.

P plus,

Dubitatio
Hippocratis
sententia.

psus, eos damnat, ut qui magis expellant, quam cohibeant, excludentes scilicet humeri caput a spacio superiori. Quare exurendum ipse consulit sub ala. modum proponens exurendi, de quo mox dicemus. Nunc enim libenter a sapientissimo viro Hippocrate quaererem, quem nam usum afferre possit superioris partis vsio, quum in superiorem est capitis humeri lapsus; prioris, quum in priorem; posterioris, quum in posteriorem; atque etiam inferioris quum in inferiorem; Nonne vsio superuacaneum humorem, qui reditum humeri in suam sedem prohibet, absumere potest, si in offensa parte; & retrahere, si in opposita fiat? Cur non igitur conuerso humeri capite in superiora, inferior potius, & contra, conuerso in inferiora, superior; & eodem modo, quum in priorem aut in posteriorem fit lapsus, contrarius locus exuritur? Fortasse impacto iam humore, & inueterato malo, non ad contraria trahendum, sed in affecto loco vrendum dixeris. Recte quidem, si modo in eam partem; quae iam humeri capite occupatur, & non in vacuam potius superfluus humor exciperetur. Haec igitur nobis quidem dicitur ratio; ita ut, si etiam inueterato morbo in proposito casu, non inferiori tantum, sed etiam superiori; imo & priori & posteriori humeri parti crustae ad superfluum humorem, cuius causa ille excidit, euacuandum, inducantur; maius ad salutem compendium fore existimemus. nihil veriti fore, ut humeri caput a superiori spacio excludatur, quum ignis non excludendi, sed ad se trahendi vim habeat. Sed accedamus ad vrendi modum, quem sic Hippocrates instituit, ut cutem sub ala digitis comprehendere velit, & secundum eam maxime rectitudinem attrahi, secundum quam humeri caput excidit. sic vero attractam candente ferramento tenui & oblongo trajici. Extracto ferramento, si inter utranque crustam multum spacij sit interpositum; tunc rursus appraehensa cute, traiectoque per facta illa foramina tenui alio specillo (frigido scilicet) & dimissa cute; intermedium illud spacium tenui ferramento candenti inurit. Admonet autem cauendum, ne glandulas & quaecunque glandulis interiora sunt, comprehendas vrendo; quod nervus maximi momenti, vicina magnum afferant periculum.

Liber Secundus. 155

riculum. Hæc ille, quem Albucasis non sequitur modo, sed etiam vrendi modum amplificat, proposito ferramento, duarum, triumve, aut etiam quatuor cuspidum tenuium. Quibus una opera quatuor, sex, aut etiam octo crustæ inducantur. qualis ferramenti Paulus quoque in vstione splenis meminit ex Marcello. Duo autē Albucasis in huius affectus vstione hic obseruat. alterum, quod luxatio ob humoris affluxū fiat, ita vt ablato humore humerus in suam sedem non redeat; uel leui quouis motu laxari soleat: alterum, non vrendum nisi humero prius in suum locum restituto. An igitur, si laxatio ob percussione[m] aut casum accidat, vrendum non est? Si vero etiam in suam sedē restitutus est humerus, quorsum vrere? Sed vere quidem quacunque de causa luxatio accidat, nisi humor subsit, nihil est opus vstione. Neque etiā, si humerus restitutus sit, præter rem fuerit vrere, ad partis exsiccationem, & robur.

Li. 6. c. 48

Li. 1. c. 27

Doloris dorsi curatio. Caput. XL.

THORACI dorsum opponitur, cui quum varijs ex causis accidere dolor soleat; si is ex frigido atque humido, id est, pituitoso humore pēdeat. post purgationem per catapotia fœtida, vrit Albucasis scribens, illic vbi dolor est, notandas esse atramento tres lineas secundum almeidati, & in omni linea quinque cauteria aut plura signanda, & pro infirmi tolerantia vrenda cauterio puncti. Addit etiam, si velis, licere, vt tribus vel quatuor cauterijs agas cauterio clauili mediali. Quibus quidem, quid velit, difficile est assequi. Per almeidati aliqui postremā dorsi vertebam intelligunt: in reliqua sententiā, in priori, si liceat diuinare, id velle videtur, vt circa locum doloris duas, tresue lineas circulares, vnā in alia pauco aliquo interuallo inuicem distantes atramento ducas. & in ijs singulis puncta quinque aut plura notes, ferramento tenui inurenda. In posteriori autem, vt notatis eodem modo, sicut in priori, circularibus lineis, spacium, quod inter illas medium est, clauato ferramento vras, sed mediali, id est, ad intermedium illud spacium accommoda.

Li. 1. c. 44

116 De Igneis medicinæ præsidij.

to. Vtro modo videris, ad humorem iam vertebri impactū, exhaustum, atque ad partis robur, & soluendum dolorē, profuturum arbitramur: si tamen, ne noua a capite irruat materia, prius consulueris.

Gibbositatis curatio. Caput. XLI.

Li. 1. c. 45

AD hunc locum ea quoque vstio pertinet, quam idem author infantibus qui gibbi fiunt, ad postremam dorsifitebram, quæ in ipsis cæteris supereminet, duplicem proponit. alteram circulari cauterio, quod totam illam circuat. alteram duas, aut tres, sicuti proxime dictum est, circulares lineas circa vertebam notando. tum punctim candente stylo inurendo. Meminit vstionis etiam Auicennas in huius affectus curatione.

Li. 3. f. 22

tr. 2. c. 14.

Ventriculi rheumatismi curatio. Caput. XLII.

Li. 6. c. 49

Libr. tard.

pass. 3. c. 2

et li. 4. c. 3

INTER ventriculi affectus, rheumatismi, seu diuturni fluxus, meminere & Paulus, & Cælius Aurelianus, ventriculi leuitatem intelligentes. In qua Paulus iuniores ait fuisse vfos vstione. methodicos facile inueniens. nam in eius curatione Cælius ait faciendam ignis vsturam, & eam quidem laboriosam, ac dolore grauissimam. Vtendi igitur modum duplicem proponit Paulus. nempe alios candenti ferramento tres inflixisse crustas ea profunditate qua tota cutis exuratur. vnam super cartilaginem ensi formem: duas alteras inferius, vtrinque vnam; ita vt triangularem figuram efformet. Alios vnam solam iuxta os ventriculi, sed magnam. Subdit etiam alios non ferro, sed iscis vssisse, spongia illa scilicet, de qua supra, quum de cauteriorum materia ageremus, diutius autem seruasse vlcera, ita vt etiam lancinarent, quo multa per ipsa facta exhalatione, os ventris fluxui minime obnoxium remaneret. Hæc ille. quem imitatus Albucasis, vbi stomacho accidant frigus & humiditates multæ, quæ ipsum a proprio temperamento immutent, atque vbi affluant in ipsum catarrhi, alijs præsidij non iuuantibus, ægro supino constituto,

Li. 1. c. 28

constituto; cruribus manibusque distentis, tres inurendas ait crustas; vnam sub cochleari pectoris, id est, ad ensiformem cartilaginem, eam vero latitudine digiti vnus, per cauterium quod clauile vocat, de quo antea. tum præterea duas infra hanc, laterales: ita vt figuram reddant trianguli. Subdit, eas tam inuicem distitas esse oportere, vt, quum pus reddent, non coniungatur. cutem autem ita vrendam, vt cauterium duas tertias eius crassitudinis perstringat. Addit etiam, licere, si velis, crustam tantum vnam in stomachi medio infligere, ferramento lato, in circuli modum constructo. Atque etiam, si quis eiusmodi cauterio deterreatur, posse, notatis antea locis atramento, cauterio puncti inurere tot crustas, quot velis. Hæc illi, qui consentiunt omnes, vsionem, non superficiariam, sed altiore esse oportere. differt tamen a reliquis Albucasis, quod, quum Cælius laboriosam doloreque grauissimam proponat: & Paulus totam cutem peruri velit; ipse non nisi duas (vt ait) tertias, cutis, iubet vsione perstringi. A quo, illos quoque non dissentire existimandum, qui, non ferramento, sed ifcis (nempe imbecillioribus) ad vrendum vterentur. Sed non omnibus potest eadem vrendi ratio præscribi. Sunt quibus in abdomine toto carnosam membrana, quæ cuti subest, præter modum adipe crassa est: alijs rursus gracilior, & macilentior. In his ergo & ifcis, & leuiori ferramenti impressione vrere licebit: in illis profundius. Non prætereundum hoc loco, non deesse ex recentioribus qui laqueo, seu setone, ventriculi cutem trajici proponant. eiusdem quidem & vsus, & molestiæ cum superioribus præsidium. Quorum tamen singulorum vice, nos ceratum ex mastiche libenter ad mouemus. Vt quod inductis vesicis expurgâdo, ac præterea utili calore uentriculi calorẽ imbecillũ fouedo; & astringente facultate parti robur restituendo, consimiles affectus viderimus non raro persanatos. Ad hunc locum pertinet, quod Albucasis scribit de solutione ventris ex frigore ac humiditate, quæ retentricem cõcoetricemque & ventriculi & intestinorum labefactet. idem scilicet affectus est, quem nunc diximus, sed grauior; cui præ-

ter ventriculi vitium, intestinorum quoque accedat imbecillitas, quare alui etiam fluxus illi coniungitur. Hic ergo, si alijs praesidijs malum non cedat, atque si aeger non imbecillus videatur, sed ferre forte cauterium possit, vrendum ait ventriculum, cauterio magno circulari, quale iam diximus: praeterea quatuor vstionibus tenuibus clauili ferramento, tenui circa Umbilicum: dehinc cauterio vno magno aut duobus ad lumbos supra os sacrum. Quod si praeterea scatere humores multos, & agrum viribus non infirmis videas; addenda vstionem unam super pectinem, & binas ad ilia, utrinque unam; atque etiam duas paruas ad ventriculum, prope magnam, de qua prius. Haec ille. hunc curandi modum minime fallacis esse auxilij affirmans. Quod, facile ut persuadeamus, id efficit, quod frigiditati atque humiditati & ventriculi & intestinorum prospicit calfaciendo, atque exsiccando, & superfluos totius ventris ichores exhauriendo. sed haec etiam asperior curatio est. licet fortasse ubi insuperabile alia ratione malum est, necessaria. quam cui aggredi animus est, quod in superiori admoniti sumus, hic etiam obseruandum est, vt superficialia sint vstiones. ob id clauili cauterio hic author vtitur.

Hepatis doloris ac tumoris curatio. Caput. XLIII.

FVIT in hepatis quoque & lienis dolore ac tumore, nec non in aqua intercutem, quae earum partium affectus se qui solet, veteribus vstio vsurpata. In hepatis quidem dolore ac tumore, vbi alijs praesidijs non cedant, Hippo. libro de internis affectionibus, vri praecipit buxeis fuis oleo feruenti in tinctis: aut crustis octo per fungos inustis. Celsius quoque Auerlianus veteres ait de vstionibus certasse: & alios in solis lienosis, alios etiam in icorosis probasse, adhibitis medicamentis escharoticis, aut cauterijs. Sic Themisonem iussisse medicamento, vel cauterijs ad icoris superficiem vri. Sic Albucasis, quoque in pertinaci hepatis dolore ex frigiditate atque humiditate, aut ex crasso flatu, vstionem proponit, ea in abdominis parte, in quam aegri supine decumbentis cubitus,

3. tard. pa.
cap. 4.

Li. I. c. 29

280. 1. 1.

cubitus, dexter scilicet, pertingat. ferramentum ergo constructum figura trium rhomborum, qui inuicem distent digiti vnus crassitudine, stante ægro non autem decumbente, ad-mouendum; sed non altius, quam vt dimidiam cutis crassitudinem perstringat, In ferramenti propositi locum cauterium cultellare venire etiam posse ait; sed egere perito viro, qui caueat, ne cutis, quæ illo loco tenuis est, altius exuratur, ita vt ferramentum ad intestina perueniat. Horum igitur, quum de vrendo in proposito affectu sit consensus; hoc tamen præsidij genus (vt nusquam alibi) non placet Aureliano, quod tumores, & indignationes & humorum concursus cum vehementibus febribus sequi necesse est. quod peritonæum natura neruosum ignis vltione vexetur, quod aliorum præsidiorum, quæ admoueri solent, vsus prohibeatur, cute a cicatrice densata eorum vim non admittente. Verum, si quis Hippocratis imitatione feruenti oleo, aut etiam fungis vrat; vel si ferramentum non altius adigat, quam Albu-casis, imo etiam Themison præcipiat; neque tumores, neque humorum concursus, neque febres tam ingentes vereri oportet. neque peritonæi violandi periculum est, quod timet Aurelianus. Qui autem ad hoc remedium venit, expertum iam reliqua omnia esse oportet, ita vt illis leuioribus non amplius sit locus.

Lienis tumoris curatio. Caput. XLIIII.

AVD'ACIVS in lienis tumore vssere omnes; & Hippocrates, qui non semel in libro de internis affectio-nibus, fungis decem magnas crustas inurit. & Aetius, qui postquam alia præsidia non contulerint, inurendum ait per cauteria, vel per pharmaca. Vrendi autem modum docet Paulus. nempe cute, quæ spleni incumbit, per hamulos distenta, & longo cauterio perurente traiecta, ita vt vna aggressionem duæ fiant crustæ: hoc vero ter agendū, vt sex fiant. Admonet etiam Marcellum cauterio tridentis figura vna aggressionem sex inuisse. hoc vero non dissimile illi est de quo supra in humeri luxatione. Et Pauli quidem curationem imitatur

Li. 1. c. 11

Li. 6. c. 52

Li. 1. c. 32

imitatur Albucasis locum vrendi illic esse docens vbi sinister cubitus pertingit: qui tamen etiam in memoriam reuocat vstionem, qualem in iecoris tumore proposuit. illud quoque admonens, superficialiam esse vstionem oportere, ne peritonæum uioletur. Non prætereundum quod animaduertit Aetius, ad hoc præsidium tuto usurpandū corpus antea per uenæ sectionem atque purgationem euacuatum esse oportere. nempe, quod, quū spleneticus in totum fere uitiatis humoribus sint referti, nisi antea uniuersum corpus sit expurgatū, ulcera ex crustis maligna reddi consueverint.

Hydropis curatio. Caput. XLV.

AFFECTIBVS superioribus tum iecoris tum *lienis* aqua intercutem frequenter succedit. Hippocrates uero libro de locis in homine ex destillatione quoque a capite in lumbos fieri arbitratur. Quare, si quidem ex capite ortum habeat, carnem in collo inter uenas crustis tribus inurendā ait, & vbi inuuleris constringendā; auersione dehinc facta in nares per medicamenta, anteriores quoque partes calfaciendas; posteriores uero refrigerandas. & postquam anterioribus capitis partibus excalfectus æger fuerit, alimenta danda *φλεγματωδεστα*. pituitosissima; & quæ minime aluum subducant. ut fluxionum meatus in anteriore capitis parte quam maxime dilatentur. Subdit alia quædam. post quæ de hydrope rursus agit facto ex vitio *lienis*. Quod sic ait curare oportere. medicamenta in potu exhibenda quæ aquam purgent & alimenta, *φλεγματωδεστα*, pituitosissima. Si uero ne sic quidem leuior fiat, vstiones fieri circum circa umbilicum oportere, quam tenuissimas, & quam maxime in superficie, ut aquam continere possis atque etiam unam in umbilico; & emittere singulis diebus. Hæc quum ille author scribat de hydrope, obscurissimam quidem habent omnia rationem. In primo enim hydrope quas uenas in collo intelligat, intra quas carnem uult exuti, non aperit. Quid uero est, quod tres crustas inducit, & non unam potius eo in angusto loco, magnam? Cur vbi uulseris, uult constringi, & in-

Hippocratis sententia expenditur.

& induci cicatricem, & eam quidem tenuissimam? Quae
 etiam ratione anteriores partes capitis calfacit, posteriores
 refrigerat? & quomodo in humidiori hoc affectu pituitosiss-
 sima alimenta minimeque aluum subducentia proponit; &
 ea ratione proponit, ut fluxionum meatus in anteriori capi-
 tis parte quam maxime dilatentur? quomodo enim frigi-
 dis atque humidis dilatari ipsi possunt? & quomodo ipsi
 prohiberi ne alius subducatur? Tam multa ergo in prioris
 hydropis curatione, ambiguos nos reddunt. In secundi au-
 tem curatione, eadem est de pituitosissimis alimentis obscu-
 ritas, quae in prioris. Ac praeterea dignum illud scitu est, cur
 superficiarias hic quoque crustas inducat: quidquid illud
 sit, quod iubet singulis diebus emitti. De quibus tamen, si
 diuinare aliquid liceat, venas primum, intra quas carnem
 vult exuri, arbitrandum est, iugulares esse exteriores. Secun-
 dum illas enim maxime ob amplitudinem fieri deorsum in-
 signes fluxiones solent. quare & turgidiores spectantur.
 ceruicem ergo inter has vult exuri, ad prohibendum prae-
 cipitem, quae deorsum fertur, fluxionem. Non vna autem
 crusta vrit, qualem in media ceruice fieri res postulat ad
 fluxionem quae per venas, nec non & vertebrae fertur, aqua-
 liter excipiendam; quod, si magna illa quidem sit, non tam
 facile sanescet, atque ad cicatricem, quam citam quaerit, ve-
 niat: sin parua, a iugularibus venis distita, fluxioni, quae
 per illas fit, non proderit. tres igitur vrit: vnam, ut puta-
 mus, superiorem in spina: & singulas vtrinque inferiores.
 Vult autem post vltionem celeriter constringi, ut ne assue-
 scat locus fluxioni: ita ut, dum in ipsam vltam partem ex-
 ustione imbecillam, protrudunt partes aliae quod superflo-
 uent, in inferiores partes fluxio maior exciteretur. Quod au-
 tem cicatrices tenuissimas induci iubet: per id quod conse-
 quens est, id quod antecedit, innuit: nempe tenuissimas
 quoque & superficiarias crustas esse oportere, ne nervosae
 partes quae subsunt, uiolentur. Quod deinceps iubet ante-
 riores partes calferi, posteriores refrigerari, illud quidem
 est auertere a parte per quam fit fluxio: hoc vero repellere.
 De alimentis, quae *πραγμα δεσυτα* proponit, nulla quidem

122 De igneis medicinae praesidijs.

ratio est, quae pituitosissima, & maxime frigida atque humida alimenta in frigido atque humido morbo opportuna esse suadeat. An ergo, licet τὸ πλεγματος uox ad frigidum atque humidum inter humores succum significandum medicis usu uenerit, per ἀντίδορα, proprietates tamen uocis unde desumitur, est comburendi: est enim ἀπὸ τῶν περιέχουσιν ac propterea uult hoc loco maxime calfacientia & exsiccantia. Sed neque alibi hoc significatu ea dictio fortasse legitur, neque nobis satisfacimus. Quod autem in secundo hydrope circa umbilicum & in umbilico induci uelit crustas tenuissimas, superficialiariarum ustiones intelligit: ut non confertim magno uitae periculo (quod alibi testatur) aqua effluat, quam tamen singulis diebus uult emitti: uel, scilicet, sponte: uel fortasse, irritatis aliquo modo ulceribus. Redeamus ad cauteria, quae Paulus quoque in aqua inter curem probat: ut, quibus multi magis sanati sint, quam perpunctione. Quosdam ergo ait ustione uisos, in stomachum, hepate, splenem; in uentrem, & umbilicum, quinque crustas inurentes. & horum quidem alios ferreis tenuibus cauterijs: alios per iscas appellatas. A Pauli curatione non dissentit Albucasis, qui ipse quoque ustiones proponit circa umbilicum quatuor, super stomacho unam, super hepate unam, & super splenem unam. quas omnes ferramento, quod uocat clauile, urit, ut superficiem tantum perstringat. Sed addit praeterea urendum cauterijs duobus post dorsum, inter spondiles, & uno in directo pectoris, & alio in directo stomachi. Qui quid uelit per cauteria duo inter spondiles, non facile est uidere. Sed arbitramur, crustas in dorso proponere non plures quam duas, super ipsismet uertebrae inuistas. alteram super uertebrae dorsii fere quintam, quae responderet thoraci medio; alteram super uertebrae circiter septimam, quae responderet cartilagini ensi formi, cui subest uentriculus. Ita ut, legi debeat (& cauterijs duobus post dorsum super spondiles, uno in directo pectoris, & alio in directo stomachi.) Verum quid (inquires) dorsum, praefertim tam sublimi loco inurere in hydrope, qui abdomini, non thoraci negotium facit? An quum insignanter excreuit

Li. 6. c. 50

Li. 1. c. 33

hic

hic affectus, non abdomen solum, sed etiam thoracem exercet: propterea undecunque & a superioribus etiam partibus, seroso humoris recte exitus perquiritur. Sane autem quum hydropem superiores uestione sola, sic, ut diximus, curent: Celsus uestionis quidem meminit, sed quasi preparatrici ad sectionem.

Tumoris crurum & pedum ex hydrope curatio. Caput. XLVI.

SEQVNTVR hydropem crurum & pedum tumores, quibus ueteres crebra sectione, quam paracentesim uocabant, consulere consueuerant. Albucasis hic etiam urit. Et primum eminentiori parte pedis, ubi minimus digitus cum sibi proximo coniungitur: tum in utroque crure sub genu, atque ad crus medium. Inducit etiam crustas coxæ utrique binas. In pede locum urit ad minores digitos non temere, quod decliuor ea pars est, in quam facile confluant ichores. admonet autem, ut leuiter tangas, nec agrum torqueas, ob neruorum, uenarum, arteriarumque ea in parte confluxum maximum. In crure urit secundum longitudinem cruris, fibrarum ductum seruans: quo seruato facilius fit effluxio humorum, utitur cultellaris ferramenti extremo, breuem uestionem esse oportere significans. apertum autem est anteriorem cruris partem, præsertim quæ prope genu est, excarnem, maximi esse sensus ob uiciniam cum periosio: propterea, hic quoque superficietenus urendum. Non docet, quo loco coxam exulceres, integrum tibi relinquens in carnosiori parte, quæ minori cum periculo exuritur, agere, ubi libeat. Sed quum inferior pars aprior semper sit ad aquosi humoris exitum, licebit quaternis supra genua digitis utrinque urere; moderata manu: ne altius penetrans tendines musculorum uioles, qui in eam partem multi confluunt.

Li. I. c. 34

Renum doloris curatio. Caput. XLVII.

Li. I. c. 39

PROPONIT in renum quoque dolore uisionem Al-
bucasis, quum ex frigore aut crasso flatu est, unde ma-
nus ad uenerem potens sit ager. Sed obscuriorem sensum
relictis Arabicis uocibus, interpres reliquit. Quicquid ille
scripserit, si nulla alia ratione corrigi id renum uitium pos-
sit, superficialiari uisiones tres utrinque urere licebit. unam
paulo supra renum situm; alteram ad renes; tertiam infra
renes. Nempe & intemperiem frigidam corrigere, & flatu
lente materię exitum patere ignis maxime omnium potest.

Vesicae paralysis curatio. Caput. XLVIII.

Li. I. c. 40

INTER uicia quae abdominis partibus infesta uisionem
admittunt, meminit Albucasis etiam paralysis uesicae,
ubi retentrice facultate frigida atque humida intemperie
oblaesa, urinae sit perpetuum, aut frequentius quam par sit,
effluuium. Inurit ergo tribus crustis pectinem, ubi inci-
pit pubes; una; & ad latera in abdomine utrinque, una ad-
dit etiam ad dorsi extremum, id est, ubi lumborum uerte-
brae desinunt, crustam unam, aut duas. Sic ille partibus
uesicae ante & retro astantibus inducere calorem ac siccita-
tem, cum superflui humoris exitu, studet. clauili autem ferra-
mento urit, ut solam superficiem perstringat, sed uisione pau-
lo latiori, quae spacium aequet nodi, ut ait, pollicis; ad
maiores remedij efficaciam.

*Vteri intemperiei frigidae, atque humidae curatio.**Caput. XLIX.*

Li. I. c. 41

CONSIMILI remedio consulit idem author frigidae
atque humidae uteri intemperiei, non temere, quod
ijsdem terminis pars utraque coercetur quanquam in supe-
riorem abdominis partem longe latius extenditur uterus,
quam factum gestat. Non deest hoc loco in Albucasis libro
mendum,

mendam, quam tribus aut cauterijs in circuitu umbilici urē
dum, ut dictum est de vesicæ curatione. illic enim non circa
umbilicū, sed ad pectinē urit, idem uero hic etiam præcepit
se existimandum. Quod hoc præterea loco infra dorsum
supra lumbos urit, non differt a præcepto de uitio vesicæ

Umbilici prominentiæ curatio. Caput. L.

NE aliquod abdominis vitium prætereamus, in cuius
curatione vltionis ueteres meminerint; umbilici promi-
nētia occurrit, quam Paulus prolapsum uocat. quæ, quum cau-
sas uarias habeat, nunc intestini, nunc omenti, aut humoris,
aut spiritus in umbilicum eruptionem; nunc etiam carnem;
quæ illic temere increfcit: quarum omnium meminit Celsus:
nunc etiam sanguinis ob venæ aut arteriæ fracturam, quam
causam addit Paulus: Celsus eius mali curationem, ubi ab
alijs causis pendeat, varijs præsidijs prosequutus; in ea, quæ
fit ex intestino, aut omento, tres modos quibus aliqui per
vincula curabant, proponit: sed quartum subdit per vinculū
& vltionem, quem illis præfert. Curandi autem ratio hæc
est. Aeger in primis spiritum contineat, quo tumor, quam
maximus esse potest, se ostendat. (hoc uero de stante homi-
ne intelligendum) tum ima tumoris basis atramento notan-
da est. dehinc resupinato ægro digitis tumor premēdus, ut si
quid dilapsum nō est, manu cogatur. Post hæc umbilicū attra-
here oportet; & qua nota atramēti est, lino uehementē astrin-
gere. deinde partem superiorem aut medicamentis, aut ferro
adurere donec emoriatur; atque ut cætera vsta, vlcus nutri-
re. Hoc non solum ubi intestinum, vel omentum, vel utrum-
que est; sed etiam ubi humor est, optime ait proficere. subdit
etiam. ante, quædam uisenda, ne quod ex vinculo periculum
sit. Hęc uero pertinent alia ad tumorem, alia ad ægrum, alia
ad tempus curationis idoneum. Ad tumorem, quod leuibus
tumoribus facile subuenitur; at in eorum, qui nimis magni
sunt, curatione, periculum est. Ad ægrum, ne sit infans, neq;
aut robustus annis, aut senex: sed a septimo fere anno ad
decimum quartum. deinde, ut ei corpus sit integrum; non
mali

mali habitus, quodque papulas, impetigines, similiaque habeat. hunc etiam subdit pridie abstinere debere; atque alius illi esse ducendam. De tempore autem curationis illud observandum. autumnale & hybernium tempus evitandum esse: Ver maxime idoneum esse, & primam aetatem non esse alienam. Hæc fere quum scribat, quum periculum quod timet, non explicet, nobis admirationem facit. Si enim id quod tumorem facit, diligenter intropellatur, quid mali esse potest ex vinculo? vitionem autem neque ille veretur, neque parti, quæ supra vinculum est, sensu iam destitutæ afferre damni aliquid posse, probabile est. Quid vero etiam est, quod vlcus ait, ut cætera vsta, esse nutriendum? Nutrire quidem servare est, an ergo non curandum vlcus, ut cicatrix inducatur? liceat, quod in mentem nobis venit, proponere. Pertinere hæc non ad posteriorem; sed ad secundum, ac tertium curandi modum, qui per vincula, non simplicia, sed cum acus tractatione, & cū sectione umbilici sūt, arbitramur. Primus erat, ut resupinato ægro, & eo quod tumorem facit repulso, sinus umbilici vacuus duabus regulis exciperetur, quarum capita arte deligentur, ut quod illis superius est emoriatur. Secundus, ut acus duo fila ducens ad imum umbilici traducatur; dehinc utriusque lini capita in diversum tracta astringantur, sic, ut quod supra vinculum est, tabescat. Tertius, ut umbilici summum vna linea incidatur, & excindatur; quo facilius digito demisso, quod illuc irrupit depellatur; dehinc vincitur. Hos igitur modos per acus traductionem, & per sectionem, ut non probat Celsus; ita de periculo quod ab his imminet, admonere existimamus. Nempe, quum umbilicū constituent binæ vene, binæ arteriæ, atque vracus, partes non expertes sensus; si magnus sit tumor; ut acū cū vinculo profundius traducere necesse est; ita non sine doloris & inflammationis periculo; ne prætereamus etiam sanguinis profusionem ex violata vena, aut arteria facilem, recte ergo admonet de periculo, si tumor sit magnus. Non etiam temere cauet, ne mollior sit ætas, quod ad vinculi tractationem atque astrictionem, ob mollitiem, facile succedit laceratio, neque etiam durior, quod non ita coalescit. apra autem est ætas

septimo fere ad decimum quartum annum, in qua cum moderatori mollitie firmitas est, & ob corporis incrementum promptior vlcerum coalitus. Cur velit, ne malo habitu sic æger, apertum est: eiusmodi enim corporum vlcera sunt ob prauorum succorum affluxum curatu difficilia. Patet etiam cur hominem iubeat pridie cibis abstinere, & aluo esse expurgata. nempe, quo id quod tumorem facit, facilius intralumina condensat. De anni autem tempore, quod vernum, atque ad ætatis initium quærit, ratio est; quod frigidior constitutio vlcibus aduersa est: æstuosa autem præterquam quod inflammationem prompte accendit, viribus est importuna. Quod postremo dubitatur, quid sit nutrire vlcus: non difficile est. est enim Celso nutrire, pro curare, nõ semel hic, hoc ipso in libro vbi de curatione testiculorum, ad capitis initium scribitur: Nam quæ sanari non possint, vel aliter nutrirī debeant, dicendum erit, simulac ad species singulas veniero.

Hernia inguinis curatio. Caput. LI.

VSTIONE in Herniæ quoque curatione vfos esse vteros obseruatur. quæ, quum uaria sit eam primum, quæ leuissima est, quam inguinis vocarunt; quæ scilicet, ob peritonæi non ruptionem, sed extensionem tantum facta est; Aetius appositus in principio astringentibus aliquando curari posse ait; tutiorem tamen esse vstionem, si peritus artifex contingat. De hac Paulus scribens, primum ægrum iubet moderato motu moueri, tum violentius tussire, (nempe, ut delabente in quam vsque partem solet, intestino aut omento, tumor sese, quātus esse potest; prodat.) eius tunc tumoris fines atramento notandi triangulari figura, ita ut superiori parte, qua umbilicum spectat, trāuersa linea ducatur, duæ reliquæ laterales in decliui inguinis parte coniungātur. Notatur etiā trianguli medium. Tunc resupinato ægro, primum notam mediam vrit clauato cauterio; tum latera, trianguli ferramento, gamma litteræ figuram referente. & tertio lateratis aut lenticulatis totum triangulum exæquat. vstio vero ita profunda

profunda fiat, ut pinguedo attingatur. dum hæc sunt, minister sanie detergat. post vstionem sal cum porro vitum crustæ iniiciatur. & decens ligatura inducatur. & reliqua quæ communia sunt reliquis vstionibus ad perfectam usque curationem adhibeantur. In hac curatione illud primum obseruare est, quod tres lineas ad trianguli figuram notat: & tamen laterales tantum vrit; superiorem non vrit. An quia vstio propterea fit, ut ustæ partes quum sanescunt contrahantur; contrahi autem laterales sat est, vt quarum contractione & angustia, si quid in eas delabatur, in superiores repellitur cohibeturque ne descendat. Sed quorsum dehinc totius trianguli spacium vstione exæquari iubet lenticularis cauterijs si superiorem partem exurere nihil est opus? Res ita forrasse habet. Est hæc hernia imbecillior, cui propterea potest vstio leuior satisfacere, si modo ad latera firmiter cicatrice partes astringantur. Ob id, ad latera altiorem esse vstionem oportet. Atque huius rei gratia curuis, accommodatis scilicet ad eius loci situm cauterijs perstringit. ad medium vero, & trianguli reliquum, clauatis, lenticularis & lateratis, id est, latiusculis & minime crassis, qualibus ad superficiem vrendam esse usus solet. quanquam hæc ipse etiam partes ad firmitatem maiore sic urenda sunt, vt carneam membranam vstio penetret. & pingue appareat, vt admonet. Quid sit clauatum cauterium, cuius hic meminit; recordamur ostensum esse in superioribus. lenticulatum autem, non dissimile esse putamus lenticulato scalpello, quod cuique notum est. lateratum vero, clauato non admodum dissimile esse etiam existimari; atque eo forrasse distingui, quod non sit ut illud, curuum sed planum,

Hernia omenti atque intestini Curatio. Cap. LII

SUPERIOREM affectū, si negligatur, sequitur facile Somētū, atque intestini hernia. Cuius curatione sectione aggredditur Paulus. vstionis tantū meminit ad cohibendū sanguinis effluxum, quem ad membranæ erythoidis sectionem in ea curatione necessariam, sequi periculum est. De hac fufus Albucasis. licet ob ineptam interpretis vstionem, ob-

scu-

Scurius. Id velle ipsum putamus, vt expurgata ægri aluo, attrimento locus notetur, in quem vsque, intestinum, aut omentum delabatur, semicirculi figura. ad cuius formam constructum ferramentum sit, oportet. quod, intestino atque omento in sedem suam diligenter immisso, & ne elabatur, ministri manu detento, candens admouendum est signato loco, atque ita premendum, vt vsque ad os pectinis pertingat. in quod si primo non perueneris, secundo etiam vrendum, vt peruenias. Secus enim nihil proficitur. Huius exemplo, ex recentioribus aliqui notatum illum locum punctuali ferramento ignito alte ipsi quoque ad os vsque premendo, ordine percurrunt. Vtraque curandi ratio non est a ratione dissentanea. qua nimirum inguinum cutis, quasi nexibus quibusdam & clavis ossi pectinis postquam inducta fuerit cicatrix, affigitur. nunc tamen, quia horrida; obsoleuit. In eius locum aliquos audimus, non irrita opera per causticum medicamentum curasse. aspectu quidem minus terrificum, re ipsa tamen non varium. quod notato tumoris loco inducunt crustam, vbi primum liceat, auferentes; & idem subinde medicamentum tandiu repetentes, vt ad pectinis os perueniant, reliquam dehinc curationem ijs, quæ cicatricem faciant absoluentes.

Hernia aquosa curatio. Caput. LIII.

SVNT etiam herniæ, testiculorum magis propriæ. atque eæ tum aquosa tum varicosa, in quibus vstionem venisse vsui veteribus obseruamus. In aquosa primum, medicamento agit Aetius, nempe cinere radicum brassicæ cum fuillo adipe exurens. tum, vbi tunica, in qua inutilis humor continetur, detecta est, scalpello diducens. reliqua deinceps proposita curatione. De hac ipse Paulus quoq; agit, sed difficilior. Hæc ex Cornarij interpretatione, eius sunt verba. Si vero vstionem in hernia aquosa libentius adhibuerimus, (velut iunioribus placet) omnia, quæ ante chirurgiam, & quæ post ipsam, relata sunt, fiant, itemque, quæ in ipsa chirurgia retulimus. eo solum relicto, vt ne ferro secemus, neque secun-

Li. 14. c. 2

Li. 6. c. 62

R dum

dum sub effluxionem sectionem faciamus. Decem itaque aut duodecim ferramentis litteram referentibus ignitis, & duobus cultratis, primum quidem scrotum per gammata illa per medium peruremus, & scalpello aut cæco hamulo membranas excoriantes, cultrato cauterio, velut dissecantes veremus. Denudatam autem rubicundam tunicam, quæ ex albedine & densitate facillime cognoscitur, summa gammati cauterij parte perurimus, & humorem excernimus, ac postea totum quod denudatum est, hamulis distentum, cultrato cauterio auferimus. Hæc ille, quæ, quia obscura sunt; non sit præter rem explicare. *Operimentum ergo testium, quod Græci, ὄχεον, nostri scrotum vocarunt, varijs tunicis constare apertum est. Sunt vero illæ aliæ exteriores, aliæ interiores. exteriores, cuticula, cutis, carnea membrana, toti corpori communes: sed hæc eo dissimiles, quod tenuissima hoc loco, & rugosa est cutis, carnea vero membrana, adipis experta. hanc carneam proxime sequitur tunica alba, ex obliquo descendentijs musculorum abdominis tendinibus ortum habens, quæ ob carneas fibras quibus intextitur, atque ob venularum quæ in ea disseminantur copiam, rubro est colore: unde & erythroidem vocarunt. huic alia proxime succedit ex peritonæo, alba & densa, cum superioribus tunicis seminaria vasa ac testes inuoluens; ita tamen, quod, vt notat Paulus, anteriori parte a testibus absoluta, posteriori sit adnexa, secundum quam partem dicitur ἐπὶ ὀσθία πρόσθους posterior accretio. est postremo loco alia quoque alba, testiculum proxime inuestiens, quam supergenitam tunicam chirurgos appellasse auctor est Paulus. ita vt, si quis has singulas velit separare, scroti tunica, ab exterioribus ad interiora progrediendo vsque ad testis substantiam, sint, cuticula, cutis carnea membrana, rubra tunica, tunica alba & densa, & alia alba, itidem tunica testiculo proxime inhærens. Hæc quum ita res doceat, apertum quidem est primum, quintam illam albam ac densam, quam ex albore & densitate facilem cognitu esse ait Paulus, in Paulo & Celso male ἐπυθρονδαῖδα vocari, voce sensui repugnante: vt propterea nos, quemadmodum, ἐπυθρονδαῖδος & rubicundæ nomen fuisse illius quæ alba hæc*

pro-

proxime superior est; ita huic *ελυθροναιδεος*, quasi vagina cō-
tigisse nuncupationem putemus; quod, ut dictum est, ante-
riori parte a testiculo seiuncta est, & in ea quasi in theca, ser-
uari testiculus videatur. quare & improprie latini interpre-
tes pro græca uoce rubicundam dixerunt. quæ si alba est, non
est rubicunda. Sed, & illud fatendum erit, si alba hæc tunica
exterioribus tunicis per *δαρτον*, ut ait Paulus, agglutinatur;
quando hæc ipsa alba & densa vere interuentu rubicundæ,
carneæ, ac deinceps cuti & cuticulæ coniungitur; aut parti
nomen fuisse etiam rubicundæ uocabulum; aut rubram il-
lam Paulum latuisse. Cæterum, quicquid de his uocibus sta-
tuendum sit, redeamus ad rem. Agitur de aquosa hernia, in
qua inutilis humor adeo affluit, frequenter, ut non modo in-
teriores harum tunicarum sinus oppleat, sed eas quoque ip-
sas tunicas, etiam exteriores imbuat; ut propterea qui curare
hunc affectum uelit, ad intimas usque partes exsiccando per-
uenire oporteat. Vbi id uisione aggredi animus sit, non uino
aut altero ferramento absolui res potest, quum candens fer-
rum humore, qui obuiam sit, protinus extinguatur. pluribus
ergo est opus. ac propterea consulto decem aut duodecim
ignita cauteria in promptu esse uult Paulus, ut perfici uino
aggressu opera possit, ea deligit gamma littera modo, curua,
ut orbiculari scroti tumescentis figuræ accommodentur.
Vrit autem scrotum per medium, id est, prope, & secundum
lineam, quæ illud in dextrum & sinistrum diuidit, sic toti
scroto æque consulens. Non secatur primum scalpello, sed
vrit, ut ne affluente sanguine simul & humore illo superua-
caneo, perficiendæ uino opere curationis occasio fugiat.
Vrit autem alte, ut rubram tunicam peruadat, & alba tu-
nica, in cuius sinu anteriori ubi testiculo non coniungitur,
plerunque superfluis ille humor colligi solet, in conspectum
ueniat. cuius rei gratia post uisionem uel hamo, uel scalpello
non ignito uistas quæ ante illam sunt, tunicas, diducit. Vbi
ergo se se alba tunica oculis prodidit, eam tunc uerere curuo
scalpello non secatur atque superiores aggreditur: sed non,
ut in illis, toto, at summa tantum eius parte, seu apice, ut hu-
mor effluat, qui maxime, ut diximus, in illa colligitur. Subdit

autem. postea, totum quod denudatum est, hamulis distentū
 cultrato cauterio auferendum : Quod difficile est, nempe, an
 tunicę, quas antea hamis diduxerat ab alba, an etiam alba cul-
 tello auferenda ? Abest ab omni ratione, operimenta, quę in
 testium munimentum natura construxit, detrahere. Putamus
 ergo magnum hic esse mendum. Et hoc velle Paulum, quum
 a superioribus denudata est alba tunica, curui candentis fer-
 ramenti apice alicubi aperiatur. (aptissimus autem locus erit
 infima pars ob situm effluxioni humoris aptiorem) ita vt
 contentus in ea humor exeat. tum vero, effuso humore, vt
 tunica vbi secta est, labijs præhensis, atque vtrinque disten-
 tis, quod eius reliquum est, aut totum, aut magna ex parte,
 cultrato cauterio secetur simul & vratur, quo humoris in ea
 nihil deinceps retineri possit, non autem ex toto, vt vulgata
 habet lectio, auferatur. Et hæc de aquosa hernia curatione
 per vstionem ex Paulo, qui quum nihil meminerit de huius
 vitij curatione per vstionem, quando in tunica testiculi pro-
 pria, quam supergenitam vocari dixit, siue integro, siue cor-
 rupto testiculo constiterit; nobis integrum reliquit, eodem
 exemplo, etiam, vrente scalpello vt agamus: nempe securio-
 ri, atque, vbi summæ corruptionis periculum est, vtiliori.
 Illud prætereundum hoc loco non est, nostros imam scroti
 partem forcipe apprehensam ignita acu trajicere, & inducto
 laqueo non modo huius vitij curationem prosequi, non va-
 no successu, si testes nihil corruptionis senserint: sed etiam
 a pestis periculo præseruare, vt in Mediolanensi pestilentia
 superioribus annis frequenti est obseruatione perspectum.

Hernia varicosa curatio. Caput. LIIII.

LABORARE scrotum solet alia quoque hernia, quã
 Celsus ramicem vocat: alij varicosam. affectus est, quo
 integris tunicis scroti venę intumescunt conglomantur-
 que, vt in alijs quoque corporis partibus, varices. Hunc
 idem author aduri iubet tenuibus & acutis ferramentis, quę
 ipsius venis insignantur, maxime vbi inter se implicatę conglo-
 merantur. Imminet varicibus sectis immoderatę sanguinis
 profusionis

profusionis periculum. propterea, tutius est illas vrere quam secare. Facta autem vstione, farinam ex aqua frigida subactam inijcit. Quod quum suppuratorium sit medicamentum, frigida tamen aqua subigi iubet farinam; innuens actu frigidum vt adhibeas, ad repellendum, ne fortasse largius erumpat sanguis: quanquam ad hoc ipsum substantia quoq; eius emplastica plurimum confert. sic lenticulam tertia die imponi iubet cum melle. ad auferendam quidem crustam, mel; ad adstrictionem vero maxime & repulsionem, lenticulam. Ita etiam eiectis crustis mel ad vlcus purgandum, & rosam ad adstringendum proponit.

Phymatum, cancri, phagedænæ, carbunculi, quæ circa glandem adnascuntur, curatio.

Caput. LV.

QVANDO ad scroti vitia descendimus, de ijs etiam agendum, quæ coniunctæ illi partes si patiantur, aliquando curare oportet vstione. Ea sunt phymata, id est, tubercula circa glandem adnascencia, cancer, phagedæna, carbunculi. quæ Celsus medicamentis, & si hæc parum valent, ferro adurit. ad mouet autem post vstionem lenticulam, quæ eius consilio admoueri debet, quoties quid vstum est. dehinc, vbi crusta exciderit, squamam æris inspergit, ne quid ibi rursus increseat. & vlcera dehinc sicut alia vlcera curat. Sed & Paulus Thymum, quem esse ait carnosam eminentiã aliquando in glande, aliquando in præputio consistentem, si non sit malignus, scalpello deradit, & calcithidem inspergit: at si malignus sit, post ablationem vrit. Et apud Actium quoque Leonidas, quum multi fuerint thymi, & magni, post sectionem vstionem adhibet ad sistendum sanguinem, & affectos locos ad alium statum commutandos; id est roborandos; & ad eiusdem affectus regenerationem prohibendam. Prætereundum hic non est licet thymum Oribasius vlcus esse dicat aspera & squalida carne excrescens, & in ano & in pudendo; non differre tamen a scriptoribus alijs, vt putamus: sed priorẽ affectũ intelligere, quũ est exulceratõ.

Thymi,

Li. 6. c. 18

Li. 6. c. 58

*Thymi, ficus, prolapsus, & ulcerum circa sedem curatio.**Caput. LV I.**Li. 14. c. 4*

ACCIDVNT etiam ano vitia varia, quae uisionem quaerunt. ac primum thymi, qui hoc nomen retinentes dum parui sunt, quum magnitudine excedant, Aetio ficus dicuntur. Occupat hoc vitium sedis partes nunc interiores, nunc exteriores. Quum exteriores, idem author, si magni sint thymi & multi, erodentibus fortibus uirit, ad sistendum sanguinem; & regenerationem in posterum prohibendam. Prolabitur etiam aliquando anus. qui affectus, quum alijs curari non potest, per ferramenta nucleo similia, id est, oliuaria, extremam externam sedis partem ex moderatis interuallis ille ipse inurit; post uisionem linamenta lacte ac melle imbuta immittens; & post elapsas crustas lentem cum melle imponens: dehinc repurgatis ulceribus emplastro ex hordeo aut alijs, cicatricem inducens sic superari ait fluxionem, cicatricemque solidam quae succedit, anum in ambitu constringere. Nascuntur eodem loco ulcera, nunc depascentia, nunc fungo similia. quae alia ratione quum tolli non possunt. Celsus medicamentis uehementioribus, uel ferro adurit. In horum autem, & superiorum curatione meminisse id perpetuo oportet, musculum ani astrictorium, uisionem sectionemue non admittere: ob conuulsionis periculum. ut Aetius notat. intestinum uero rectum, si feces, resecas, consuas, uras, putrefacias, etiam si grauissima haec uideantur, nihil tamen authore Hippocrate laesurum.

*Li. 6. c. 18**Li. 14. c. 8**Hæmorrhoidum uitiorum curatio. Cap. LV II.*

EIVSDEM partis frequens est hæmorrhoidum uitium. Licet utero etiam aliquando commune. Id uero uel immoderatio sanguinis profusio, uel dolor, uel malum etiam uleus; quorum causa ad uisionem accedere aliquando necesse est. Ad hæc igitur, curandi modos quattuor in libello de hæmorrhoidibus tradit Hippo-

-cra-

crates. In primo ferramenta parat septem, aut octo, crassi specilli crassitudine, in summo reflexa, lataque; parui oboli instar. & purgato antea aluo, hominem vult supinum decumbere; puluinarique sub lumbis subiecto, sedem quam maxime digitis foras extrahi. tum candentibus ferramentis uti, donec resicaueris. & hoc ita, ne contingas. Cætera hic facilia sunt. id tantum quod postremo scribit, non ita apertum. Quid enim est quod postremo cauet, ne contingas? si exurere oportet, quomodo sine tactu? An forte solas hæmorrhoidas vult tangi, intactis partibus reliquis? Ita quidem statuendum est; sed aliud tamen *ijs* verbis innuit. quod explicatur in tertio curandi modo. in quo, vbi sectione, atque aliter curari non potest affectus, subdit vrendum; cauendo, ne contingas ferro; sed prope ad motis ferramenti resiccandum, & floræ æris ex urina apponendum. propterea etiam, tam multa ferramenta quærit in primo modo, vt quântum satis est, resiccet: alioqui singulis venis singulum ferramentum satis erat, si vrendum esset. Hoc magis etiam in quarto modo aperitur. in quo per fistulam (quam cauterem appellant) in anum inditam, candens ferrum immittit, ac frequenter eximit, quo magis cal fieri sustineant venæ neque ex calore vlcerentur: & tamen resiccetur. Atque hæc fortasse vrendi ratio est, per cauterium frigidum, cuius meminit alicubi Paulus. de quo in superioribus. Qui auctor in hoc affectu, vt etiam Celsus, medicamentis agens; aliquos ait fistularis cauteris cauum (qualis est vsus ad vuam) replere medicamento vstorio; & quem admodum vuam, ita etiam hæmorrhoides vrere. sed habet hic curandi modum locum in interioribus & cæcis hæmorrhoidibus, non in externis. Sane autem, quod in huius affectus curatione disserere solent, sint ne omnes hæ venæ vrædæ, an una relinquenda, quod iubet Hippocrates; & Paulus probat, contra quam Aetius, qui vult occludi omnes; ex re ipsa petendum consilium est. nempe ex affectu, & ex corpore affecto. Si enim diuturnus iam est affectus, quia naturalis quodammodo est; non est sine periculo excretionem illam prorsus cohibere. relinquere apertam unam, hic recte est. ut etiã si non afferat dolorem. contra autem, si uel ille recens est, uel

etiam

*Li. 6. c. 79**Li. 6. c. 18**6. aph. 12**Li. 6. c. 79**Li. 14. c. 5*

Li. I. c. 36

etiam molestior, sanare in totum præstat. Indicat etiam *nihil* affectum corpus quid agas. quod enim multitudine laborare solet; præsertimque quod euacuationem aliquam aliam aliqua de causa non facile admittit; absolutam omnium venarum illarum non fert sanationem. & de curatione quidem, quæ ipsis adhibetur hæmorrhoidibus hæctenus. Sed omit- tenda non est vstio, quam earum gratia in partibus alijs Al- bucasis proponit. Vbi enim in ano hæmorrhoides antiquæ siue una, siue multæ sint, ex humoribus crassis & frigidis, aut corruptis, si cætera non curent, tribus cauterijs trianguli in modum postremam dorsi vertebram inurit; & duobus fere sub umbilico digitis, vno. Addit etiam, si ventriculum ægro refrigeratum esse putes, vt alimenta non concoquat, & si ru- mida æger sit facie tunc, & ventriculum cauterio magno de quo supra, & iecur & lienem quoque clauili cauterio vren- dum. ita vt aperta aliquo tempore vlcera maneant. Hæc ille, cuius curationis hæc videtur ratio. Quum in hæmorrhoidas & corruptum & frigidum ac crassum, id est humore *fæculé-* to melancholico plenum sanguinem deponere natura sole- at, perfectæ curationis gratia danda opera est, vt illius humo- ris inclinatio cohibeatur, ne in affectam partem ruat. tum, si qua pars sui vitio causa sit, ut prauus ille humor gignatur, & per propinquum illi parti locum exitus quærat: simul- que parti robur feratur, ne in accumulando prauo eo succo perstet. Solet auté in ijs, quos immoderatus sanguinis fluxus vexat, & iecur & ventriculus & lien etiam refrigerari. vnde malacoctio inutilium succorum & mali habitus, atq; etiam hydropis generatrix. quibus malis ipse quoq; hæmorrhoidū fluxus fouetur: ita ut, sicuti hic antea malæ partium illarum intemperiei causa fuit, sic postea ab ipsa intemperie vicissim dependeat atque augeatur. His ergo etiamnum partibus at- tendendum est. His igitur scopis vt satisfaciatur, ad cohiben- dum quidem sanguinem primo, ad postremam dorsi partem inurit, non temere. Nempe licet hæmorrhoides *venæ* magna ex parte venæ portæ sint propagines; dissectione tamen con- stat earum esse aliquas etiam ex caua. quæ vena toti spinæ adnexa, quum ad extremam dorsi partem ex carnem cuti ui- ciniore

cinior sit, etiam si nullos de se ramos in eam mittere obseruetur; ob communem tamen eum qui in uniuerso est corpore consensum, in eius ipsius loci si exuratur, cutem, ichoris aliquid mittere non difficile possit. potest igitur vltio sanguinis deorsum fluentis impetum illic choibere, vnde maxime qui hæmorrhoidum fluxum patiuntur, sanguinem excurrere, sese percipere aliquando affirmant: qua etiam in parte refrigerantia præsidia admouentur, non sine fructu. Cur ergo in dorso urat, ex his constat. Cur autem ad umbilicum, etiam apertum est. pars enim maxima hæmorrhoidarum venarum a ramo est, qui a vena porta ad splenē fertur: qui scilicet per mesarqum in colum, & a colo in rectum intestinum ipsi continuum extensus in ani musculos & in interiores ipsius intestini partes desinit, horum autem intestinorum situs infra vmbilicum est. recte igitur illic quoque ad cohibendum sanguinem exuritur. Non dissimili autem consilio in huius affectus curatione Auicennas quoque pro vstione cucurbitas iubet admoueri intra anchas. (sic enim corrigit Bellunēsis, pro spatulis) qui locus est ossis sacri, nepe quod intestinum rectum a summo osse sacro ad extremum usque coccygem defertur. De sistendo igitur fluentis sanguinis impetu hæctenus. Ad viscerum autem, quorum vitio prauis humores accumulatur, expurgationem, & robur, alia proponit cauteria, de quibus supra actū est, vbi de hydrope.

Li. 3. f. 17.
tr. 1. c. 4.

Condylomatū quæ circa sedem nascuntur, curatio.

Caput. LVIII.

INTER sedis vitia meminit Albucaſis althelul. quæ, si diu nandū sit, cōdylomata sunt, tubercula scilicet in sede enascentia ex inflāmatione aut rimis. ea primum eminetias; tū postea vbi calleſcunt, condylomata uocari ait Paulus. Agit de his etiā Celsus. Sed post abscissam eminetiā crustā inducē. Paulus Nempe ea abscissa sæpe sanguinis sit effusio. cuius gratia Albucaſis vrit, sed candentibus ferramentis semel bisue etiam, si sit opus, admotis. imo etiā cauterio magno sup lūbos, ad reuellendū, quod summi esse usus affirmat.

Li. 1. c. 37

Li. 6. c. 80

Li. 6. c. 18

Fistula circa sedem curatio. Cap. LIX.

Li. I. c. 38

SUPERIORIBVS affectibus fistulae saepe succedunt. Ad quarum curationem, ubi aeger a sectione deterreatur, Albucasis candens ferrum tenue radij instar immittit, semel, bis, ac sepius, ut callus scilicet detrahatur. hac uero cautione ut fistula profundior non sit, & carnosio sit in loco, atque, ut neque sit prope neruum, aut uenam magnam: neque ad uesicam, aut intestini corpus peringat.

Iscbiadis curatio. Cap. LX.

PARTIBVS de quarum uitijs actum est hactenus, proxime succedit femur, cuius articulo nunc luxatio, nunc dolor, nunc utrunq; accidit. quae, quum accidunt, si simul inutilis humor adsit, igneum praesidium admittunt. siue enim humores adhuc in coxae acetabulum confluat (confluere autem maxime solent a capite) ad cohibendum defluxum, superioribus partibus remedium hoc adhibetur: siue iam confluxerint, at nondum impacti sint, uicinae ad deriuandum, uruntur, siue iam haereant, ipsemet locus, in quem exceptus est humor exurit. Author libri de internis affectionibus, de coxendice ac renum morbo agens, bilem ait ac pituitam per irregulares uenas in spinam ad coxam, inter acetabulum, & ad malleolum usque pedis externum, atque intermedium magni digiti locum defluere, & ijs partibus facere dolorem. Quare multiplicem proponit uisionem. nempe cristas quatuor in scapula. scilicet, ad humorem, ne deorsum fluat, interceptiendum: duas sub nate, & in medio femore duas, & supra genu vniam, ut quod in coxae acetabulo iam constitit, in uicinas partes deriuetur. haec uero id quoque efficiunt, ne ad malleolum aut digitos fiat fluxio. Addit, ut supra malleolum ueras, atque hoc est ad reuellendum a digitis, imo etiam ad detrahendum a coxa. subdit etiam, in carnosis partibus ferro, in neruosis & osseis fungo, urendum. Ad humorem, autem, qui parti iam impactus est, pertinere illud satis constat, quod scribi-

scribitur in aphorismis. quibuscumque a coxendiculi morbo diuturno vexatis coxa excidit, his etus claudicat, tabescit, nisi ulti fuerint. Sed & in libro de locis in homine præcipitur. ut cucurbita affigatur, sine scarificatione. generatimque ubi in unum aliquem locum decubuerit, & consliterit dolor qui medicamentis non exigatur, urendum quocumque loco fuerit dolor, in libro de affectionibus docemur. urendum autem lino crudo. Hæc ex uetustis ijs libris. Hippocratis doctrinæ non dissentanea. est in ijs tamen aliquod dubium. Quod enim de cucurbita scribitur, & edicitur ut sit sine scarificatione, non consentit Archigeni, qui apud Aetium, cucurbitam admovent quam maximam, & iubet altius scarificari, id quod & Paulus, cute incisa cucurbitas multa cum flamma, & hirudines etiam admouens. sed etiam quod nunc lino crudo, nunc ferro, nunc fungo urendum docet, dignum est animaduersione. Cæterum, de uestione per ferrum aut fungum in carnosissimis, in uersis atque ossibus partibus, in superioribus suo loco satis. Quod ad alia spectat, sicuti cucurbitulam, e loco, cui admouetur, tenues ichores euocare apertum est; ita linum crudum in parte, cui incensum admouetur, excitare uescias solet. est uero id, ut putamus, linum ad nendum iam aptum, quali nunc est ad cucurbitas quoque usus. An ergo leuiora hæc præsidia tunc sunt ex usu, quum leuior est affectus? Satis enim est tenuiorem humorem ab intimis partibus in cutem euocare, atque absumere: quod fit per leuem cucurbitam. Si affectus sit paulo maior, tunc superfluum humorem in uescias colliget ad exitum linum crudum. Atque si adhuc maior, utilis erit cucurbita maxima cum scarificatu, quam Archigenes proponit, non absolute tamen; sed ubi ob acrimiam medicamentorum usum, indissolubilis humorum condensatio fuerit facta in articulo. Tunc uero multæ quoque scarificatae convenient, quas indicit Paulus. Sunt igitur singula hæc præsidia alia alio tempore ex usu. Sic de uestione cum crustarum inductione censendum est, quam superioribus locis affectæ parti Hippocrates inducit. Satis quidem una esse potest, & illa etiam superficialia, in affectu leuiori: multiplex autem & profundior requiritur, quum uicium fuerit

6.aph.60.

Li.6.c.79

Li.64.c.5

maius, atque altius intederit. Sed age nunc, videamus, quod de vstione in hoc affectu veterum aliorum fuerit consilium. Archigenes referente & Galeno & Aetio laesam partem ad mora iberide exurebat. Alij ferreis cauteribus, alij stinthy vel aristolochiae radicibus alte vsserunt, tum in coxae articulo, tum in crure per interualla, circa dolentes maxime locos, quos omnes modos id quod affecto loco impactum est, trahere in cutem posse apertum est. Alij Arabica a Dioscoride nuncupata vstione etiam sunt usi. quae est caprinum simum ignitum cavitati, quae est inter magnum & indicem digitorum manus (eiusdem scilicet cum affecta coxa lateris) admo- uendo, quousque ad coxam calorem pertigisse aeger per- cipiat. Qui curandi modus, ab alijs aliter, vt Aetius notat, vsurpatus, aliquid habet admirationis. neque enim vasorum eius partis quae vritur, cum femore consensus aliquid habet priuati, quod non habeat tota manus. neque, quomodo a ma- nu in coxam vsque aegram priuatim sensus ille caloris per- ueniat; aut quomodo calor quantuscunque perueniat, tam continax vitium soluat, apertam habet rationem. Sed non pauca eiusmodi habet medicina sensu cognita, quae non bene assequitur ratio. Non ita abditam habet causam quod Antillus apud Aetium scribit. qui ad ventrem magni digiti pedis paulo infra vnguem ad os vsque eodem caprae simo ignito perurit. hoc enim a coxendice, non secus atque venae sectio in malleolo trahere humoris aliquid potest, via (quum lateris rectitudo seruetur) manifesta. quanquam, quod adeo alia vstio praecipitur, vt os pertingat; ob vasorum, neruorum que in eam partem confluxum, suspectum est. Sane autem praedictas vstiones Archigenes negligit, expertus alijs non exurentibus malagmatis successisse curationem. Probarunt tamen alijs. Ad hunc locum pertinent etiam quae scribit Pau- lus. qui praeter iberidem, lepidium quoque, mire in hoc affe- ctu commendat, praetereaque vstionem, etiam profundiorē, circa eum maxime locum vbi articulus excidit; seruatis dies plures vlceribus, ne inducatur cicatrix. Sic enim redundan- tem humorem resiccari, & locum ex cicatrice densatum non amplius os excipere, Subdit etiam iuniores tres crustas indu- cere.

cere. unam retro iuxta cavitatem clunis : alteram ab externa parte, paululum supra genu : tertiam paululum supra externum talum, iuxta carnosiore partem. Sed Celsus quoque ultimum esse ait, & in uteribus morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, candentibus ferramentis exulcerare. ut materia inutilis reuocetur. Et sunt hæc quidem, quæ hæctenus deprompsimus ex veteribus, aperta. Atquæ eadem de re apud Albucaſim leguntur, longe obscuriora. Hæc tamen uelle uidetur. Primum, in luxatione, quam lenti humores recepti in coxæ acetabulum pariunt, (luxationis autem signum est, quod crus alterum altero longius est, & in loco luxationis concavitas spectatur) in luxatione inquam, notatis atramento acetabuli finibus, circulari cauterio, de quo supra in stomachi uſtione, urendum esse, ita ut acetabulum in medio sit cauterij, quod si tale cauterium non habeas, tunc tribus magnis oliuaris figuræ ferramentis urere licebit, ea autem profunditate, quæ cutis crassitudinem totam perurat. At ubi sine luxatione in coxæ acetabulo dolor est ex frigiditate atque humiditate, qui alijs præſidijs non curetur, duplicem curandi rationem proponit alteram ignitis ferramentis, alteram medicamêto adurente. Curandi autem per ferramenta uarij sunt modi. primus proxime dicto similis, oliuaribus ferramentis, trianguli in modum tres crustas in acetabulo inducendo, ea inter ipsas distantia, quæ sit crassitudinis digitalis. licebit uero etiam medio inter ipsas loco alias inurere, ut sint quatuor. secundus modus est, ut circulari ferro, de quo diximus, utaris; totam cutis crassitudinem urendo. Atque hæc si dolor acetabulum non excesserit. At si in coxam aut crus extendatur, tunc & in coxa ubi dolor est & præterea quatuor supra talum digitis extrorsum, urendum ferramento quod sit cultelli figura, ad totius crassitudinem. quod si in pedis digitos dolor extendatur, illic ubi dolor est punctuali cauterio tres aut quatuor crustas inducendæ. Non secus etiam, si sub genu urgeat dolor, illic quoque cultello urendum. Vnum in his perpetuo obseruandum est, ne ad neruum, aut magnam aliquam arteriam uſtio penetret, ob inflammationis ac mortis periculum. Hæc fere

ille

Li. 14. c. 2

Li. 6. c. 62

142 De Igneis medicinae praesidijs.

ille ab Hippocratis doctrina non alienus, qui quocunque loco dolor constiterit illic urendum consulit, ut dicebamus. Et haec tenus quidem quae Albucasis scribit, satis clara sunt. Subdit autem alios cauterij modos duos: sed quae docet, tam rudi obscuroque sermone ad nos transiere, ut pigeat quidem & pudeat in ijs describendis operae aliquid impendere. Fortasse autem quemadmodum proxime, ferramentum quod circuli unius seguram refert, proposuit; ita nunc ferramentum aliud describit ex tribus circulis constructum quod bene candens affecto loco admoueat. Et huius quidem cauterij usus plurimum hic auctor tribuit; at ipse quoque ut horridiore & quo aeger perterreatur, raro se usum affirmat. Sed unum aduertit, facta uestione, non statim, sed transacto tri-duo uestum locum butyro illinendum. Hoc uero, cur ita, praeter morem? An, ut seruato in exusta parte dolore, quem mitigare solet butyrum, ex interiori acetabuli sinu inutilis humor trahatur? Subdit deinceps aliud ferramenti genus ad curationem per medicamentum peragendam, uerbis quam superiora etiam obscurioribus. Fortasse autem, sicuti in proxima uestione coxendici tres circulares crustas induxit; ita nunc duas itidem circulares inferre animus est, sed per medicamentum, quo minus aeger terreatur. atqui medicamentum liquidius est, quod propterea instrumento opus habet in quo contineatur, ne effluat. Duo, ergo ferreos circulos paratos esse oportet, quorum alter contineatur in altero; duplici uterque pariete, qui altitudinis duorum fere digitorum crassitudinem aequet. carere debet fundo uterque circulus. spacium inter parietes sit latitudinis digiti unius, inter circulos autem duorum, connecti uero hos ita oportet, ut nullam in partem nutent. id quod fiet traiecto per illos axe, praesertim uero decussatim. Organum igitur ita constructum affecto loco admoueri debet, & ministri manu ualide comprimi, nihil ut effluere possit liquoris, quem intra utriusque circuli parietes tepidum effundes. sic per horam & minister comprimere, & aeger debet medicamenti ferre morsum, atque acrimoniam igni non dissimilem. tum ablato organo, affecto quoque loco aqua dulci abster-
so,

so, nihil per dies tres agendum . tertia autem die butyrum il-
linendum , danda opera ut crustæ excidant , & in dies plu-
res ulcus trahendum , ne sanetur . Hanc urendi rationem ,
sicuti & superiorem , non dubitamus illis prorsus non re-
spondere , quos hic innuit . præstitimus quod potuimus , ut
eius imitatione aliquid proponeremus . Quæ dulci aqua extin-
ctū locū iubet abstergere , calidane , an frigida utaris , nō aduer-
tit . sed , licet , frigida temperando dolori qui ex igne perstat ,
fit aptior ; repetere tamen hic nihil est opus , imo uero foras
omni studio inutilis humor euocandus . præstabit igitur uti
tepida , quæ etiam acriorum uaporum fiet diffusio . Admonet
hic deinceps , quod de dolore in coxæ acetabulo docuit , idē
fieri posse in coxa , & in crure , ubi doleant , parato apto instru-
mento ad eum liquorem illic ubi opus est , continendum .
Liquor autem , quæ proponit , est ex sale alkali uocato , quod
ex cinere fit maritimæ herbæ Kali : atque ex uiua calce . cu-
ius parandi modum clare docet . eius locum tenere potest
aqua vulgo saponis dicta , licet imbecillior . est & aqua for-
tis appellata : & alia , quæ hic non est locus ut fufius prose-
quamur . In memoriam potius reuocandus est modus , quo
recentiores in affectu , de quo agimus , quatuor aut quin-
que crustas uno aggressu coxendici inducunt . nempe ferra-
mentum habent seu quadratum , seu circulare , æqualis cum
vrenda parte amplitudinis . in eius ambitu quatuor , in
medio autem vnus veluti dens eminet , dactyli ossis figura .
adesse etiam ligneam tabellam oportet eiusdem figuræ , &
totidem locis perforatam , ut ferreos illos dentes excipiat .
tabella ergo actu frigida coxendici adhibetur . & ferramen-
tum illud candens admouetur , immixtis in singula illa fo-
ramina dentibus , ut cutis tangatur . Alij huius loco ferra-
mento vtuntur , cui tria quatuorue uni manubrio affixa sint
cauteria oliuaria . Atque hæc tandem de Ischiadis curatio-
ne per vstionem .

Li. 4. c. 23

Li. 1. c. 34

COXENDICI proximus affectus est genuum dolor. quem ubi inueterauit, vix citra vltionem finiri ait Celsus. Quare Albucaſis ubi a frigido humore ſit vitium, quod alijs praesidijs non cedat, cruſtas tres aut quatuor, aut etiam plures, vtrinque ad genu vrit cauterio clauato, id eſt, ſuperficiario, quod non attingat neruoſas partes, & totam tamen cutis craſſitudinem perſtringat. *Exteditur etiam dolor in pedes: tuncque circumcirca ubi cruri pes iungitur, nempe ad tarſum, cauterijs multis oliuaribus vrit. atque etiam, ſi contumacior ſit affectus, ſupra pedium, quem faciem pedis vocat. Si dolor manus vrgeat, ad carpum; tenui ſeu punctuali cauterio, quaſi duabus lineis ductis vrit. quo ſingulos quoque nodos, & metaſcarpum tangit, ſi dolor digitis ſit infixus. Quod ſi in cubiti, aut humeri articulum dolor irruat, conuenit illis quoque partibus vſtio, quemadmodum etiam ſi in dorſum, de qua re ſupra quoque eſt actum.*

AFEMORIS vitijs descendendo, offerunt ſe varices ob ſanguinis copiam cruribus non raro moleſtiores; licet alijs etiamnum partibus accidant. Hae igitur, ſi magna, multae, curuae, aut conglomeratae ſint, melius excindantur. at ſi vna, parua, recta, aut ſi etiam tranſuerſa, ſimplex tamen, melius vſtione quam exciſione curatur. Curandi modus eſt, vt ſecundum eius longitudinem cutis aperiatur: haec muliſque vtrinque diſtrahatur. tum patefacta vena, tenui & reuſo ferramento candente leuiter prematur. ſic fieri iubet Celsus, per totam venam, interpoſitis fere quaternis digitis. dehinc ſuperponitur medicamentum, quo *adulta* ſanantur. Haec fere ille. At quum varicoſam venam ſaepe in multum ſpaciū excurrere accidat, eſt ne cutis toto illo tractu diuidenda, in quo vena eſt? A Medici proſecto munere abeſt, inutili dolore torquere hominem. Per interuallum ergo

Li. 7. c. 31

di-

digitorum quatuor, aut etiam unum, passim aperienda est ve-
na, & vrenda, cute reliqua integra. Vtere autem pluribus lo-
cis expedit, vt alimento destituta contabescat.

Elephantiasis curatio. Caput. LXIII.

HACTENVS priuatos affectus, in quibus vstione vsq[ue]
sunt veteres, percurrimus. Nunc, qui aut toti corpori
communes, aut vni non magis quam alteri parti proprij vstio-
nem admiscere, proponamus. Occurrit primum Elephasia-
sis corporis vniuersi cancer. Ad quem, qui inclinationem ha-
bent, eos Paulus ab aliquibus curatos ait inurendo, quinque
in capite crustas, vnam paulo supra sinciput, id est, ad sagitta-
lis cum coronali confinia, alteram paululum supra frontem,
ad pilorum finem; tertiam ad occipitium; reliquas duas pau-
lulum supra aures ad squamosa agglutinamenta, vtrinque
scilicet vnam. sic detractione plurium squamarum, humo-
rum & multitudini & crassitudini perspiratum fieri; & ex
capitis profunditate veluti per canales educi: atque hoc pa-
cto, ne laedantur oculi, prohiberi. Addidisse etiam ait caute-
rem spleni, vt primaria atrabilarij humoris officina, crusta in
cure facta curetur. Hac ille. Ex quo Albucasis eadem; in hoc
tantum diuersus, quod primam vstionem proponit loco no-
to in medio capitis; est vero is in sincipite super media coro-
nali. Sed vere, si sagittalis & coronalis confinia vrantur, ma-
ior fit perspiratus, quam si coronalis sola. Sunt ergo hae v-
stiones illis vsui, quorum inclinatio est ad elephantiam. At
si iam in vniuersum corpus extensum sit vitium, prater
propositas in capite crustas addit Albucasis vnam in nasi ex-
tremo, super vtranque maxillam vnam. super colli vertebrae
duas, super dorfi vertebrae sex, super os coccygis vnam
magnam, & super almeidati, id est, ad postremam dorfi
vertebram vnam; ad femoris articulum vtrunque vnam.
duas supra genua, duas supra humeros, super cubitum vtrun-
que vnam. ad cartilagine[m] ensiformem vtrinque vnam. sin-
gulis digitorum in manu & pede articulis vnam. vtriusque
manus carpo vnam: & calci vtrique vnam, cauendo, ne
tangantur nerui, qui ad calcem. Aliquando etiam vri ait
super os pectinis, & super os ventriculi, & super hepar. Tot
igitur hic author locis vrit; illud etiam affirmans, quo plu-
ribus

ribus locis vritur, eo magis prodesse. Admirabitur ergo aliquis, & maximae audaciae hunc damnabit, quasi aegrum ex carnificantem. Sed, quod dici solet, malo nodo malus cuneus debetur. Ad totius corporis faedissimum exitiosissimumque hoc vitium, nihil non tentare licet, praesertim vero, quod qui eo affectu laborant (quod hic quoque admonet) dolorem exiguum ex vstione percipiunt. Stupidum enim ijs uniuersum est corpus, ita ut (quod inter praecipua est huius mali signa) si cutis tota acu transfigatur, non sentiant. dixi cutem totam, non tamen subiectas cuti partes, quae punctae dolent. Est autem illis stupor, quod cute sunt in toto corpore, crassiore. Id quod ab Hippocrate quoque quinto Epidemiorum in nono aegro obseruatur, qui Athenis prurigine toto corpore vexabatur, maxime autem testibus & fronte velut lepra aspectu. huic enim, ait, cutis crassa erat per totum corpus. scilicet a crasso & terreno humore melancholico in cutem impacto. Hic ergo sensum aufert tum frigiditate sua innatum calorem, sine quo non fit sensus, extinguendo; tum crassitudine animalium spirituum transsum in cutem excludendo. Ceterum aliquid est hoc loco quod pariat dubitationem. Dandum quidem est, quod ait Paulus, exulcerata capitis cute per vstionem humoribus multis perspiratum fieri; at, quum hic affectus, qui alteratricis facultatis vitiatae, & male alimenta immutantis symptoma est, nunquam fiat, nisi iecinore sanguinis officina, & liene, qui excipere melancholicum succum solet, affectis; quae ratio est, ut ad initia statim capiti, non autem potius iecinori, ac lieni, vstio adhibeatur? Sed prius quidem quam ad vlla in corporis parte medicus vrendum accedat, uniuerso corpori, maximeque iecinori ac lieni praesidijs alijs consuluisse opus est. tum vero, quia hoc vitium in facie primu se se prodit, acri scilicet euaporatione facta in superiora; recte in parte illa meatus aperiuntur, ut ne in ipsa prauis humores consistant, magne in homine deformitatis auctores.

Leuces curatio. Caput. LXIIII.

Li. 4. c. 5.

CVTIS affectus superiori affinis est Pauli leuce. infectio cutis albidiori colore ob lentam pituitam. Quae in hac curabilis est, adustione sola aliquos curasse ille ipse auctor affirmat. quanquam alij & dolorem veriti, & cicatricis

cis

cis turpitudinem quæ ex vltione remanet, vrere neglexerint. Albucasis tamen vrit, ita vero vt cutis crassitudinem penetret, donec albus color mutetur. curationem dehinc prosequens orobi & lentis farina cum oleo rosaceo, folijs plantaginis, sanguine columbæ, atque hirundinis, quæ æquis portionibus commista, linteolo inducta exusto loco admo- ueantur. Quæ tamen, an eiusmodi sint, quæ possint natura- lem temperiem parti restituere, quæ ob intemperiem frigi- dam male concoquit alimentum, non facile est statuere. Si quidem horum natura expendatur, quum orobus & sanguis temperiei sint calidæ, lens inter calidam & frigidam, me- diæ; vt etiam oleum rosaceum, plantago frigida; aliquid certe calore fere temperatum ex his confici fatendum est: at eiusmodi calore amoueri posse vel frigiditatem, vel pri- uatam maleficam vim, a pituita altius impressam, & quæ cor- poris habitum iam apprehendit, neque facile est, neque for- tasse sperandum, vbi affectus inueterauerit.

Intemperiei frigidaæ atque humidaæ, & abditæ curatio.

Caput. LXV.

INTER vitia quæ vltione corrigi possunt, meminimus iam antea intemperierum cum frigidarum atque humi- darum, quæ vbi alijs præsidijs non cedant, hoc curantur præsidio: tum abditarum, quibus scilicet coniungitur vel veneni aliquid, vel quod proxime veneno respondet; nempe praua illa aura, quæ aliquando ex parte corporis aliqua aliò excitata pessimas noxas parit: qualis, quæ epilepsiam ex pedis digito aut ex manu, vt nuper vidimus. In hisce ergo affectibus, in quibus foras venenum trahere oportet, post cucurbitulas etiam scarificatas, vltionem tum per sina- pisinum, tum per candens ferramentum, vt ratio dicat; ita maxime conferre experimentum probat. Sic Galenus fuisse ait qui in animalium ictu venenato virus ore exsugeret: huc autem pertinere, & synapi, & cauterium.

Tumorum malignorum curatio. Caput. LXVI.

QVÆRVNT vltionem tumores quoque non raro; & ij nunc maligni, nunc etiam malignitatis expertes. Quod de malignis dicimus, apertum est in carbunculis: quos Galenus auctor est expetere acriora medicamenta, & quæ

T 2 ignis

148 De Igneis medicinae praesidijs.

ignis vires habeant; quale myli, chalcitis, arsenicum, calx,
 sandaraca; & si his non cesserint, ipsum etiam ignem. Sic Cel-
 sus nihil esse ait melius, quam protinus exurere. Est hic ta-
 men aliquid dubitationis. Galenus super ipsam crustam ubi
 praecipue particula putrefit, admoneri medicamentum iubet
 & caeteri circumstitas partes. Celsus vero ita vult aduri, ut ex
 omni parte sit doloris sensus, carnem enim quae eo affectu te-
 netur, mortuam esse; & non sentire, sequi autem sub medica-
 mentis erodentibus crustam vndique a viua carne diductam,
 quae trahit secum quicquid corruptum erat; ita ut purus si-
 nus remaneat, qui replentibus curari potest. Quum igitur sa-
 nas partes caueat Galenus, hic eam tangit. Non enim dolo-
 ris sensus est nisi in sana. Verum, postulat quidem curandi
 ratio, ut quod putre est, abscindatur, id quod qui assequi ve-
 lit, sanas partes circumstantes tangere necesse est, non hoc
 igitur damnat Galenus, sed admonet, ne medicamento vta-
 ris, quod in sanas partes ultra carbonem diffluat, propterea
 circulis Andronijs, id est trochiscis aridis vitur, moxque si
 inflammatio adsit, eos passo, aut arnoglossi succo diluit. Sa-
 ne autem, quod Galenus in hoc affectu, si dictis medica-
 mentis non cedat, igne utendum ait, id ipsum & Celsus, tunc ad
 vitionem praeparandum dicens; vitionis nomine, actu igni-
 tum remedium intelligens. De carbunculis Albucaei quo-
 que meminit sub nomine Adelmenei, ubi de Albathir, id est,
 de furunculis agit. Qui etiam alios vrendi modos proponit.
 Aliquando ait Albathir sedas, id est, pustulas a materis cras-
 sis & corruptis in corpore nasci: quas, quum primum appa-
 rent, singulas ait myrtheo ligno, tenui ignito, aut radice ari-
 stolochiae longae, aut lenticulato ferramento vrere oportere.
 Sic, ait, aliquando & carbunculos vri quum apparent, hoc pa-
 cto, non augeri; educi autem excrementum, ex quo fiunt, &
 sanari. Haec curatio, si in carbunculis absolute conuenit; lon-
 ge magis in iis quibuscum pestilens qualitas est conuincta.
 Ad hunc locum pertinent & sphaceli, qui extincto ob in-
 flammationis uehementiam, partis alicuius calore gangre-
 nae succedunt. Nempe (quod Aetius notat) partem corru-
 ptam celerrime refecare oportet, quatenus uicinam sanam
 contangit; ita ut nihil prorsus putridi ac cariosi relinqua-
 tur.

ni, deinde locum inurere; postea selamum, ac mel, aliaque cras-
sas auferentia, & curantia affectum adhibere. Pertinent huc
& bubones pestiferi; quorum materiam cucurbitulis, sina-
pismis, atque etiam unctione, ut in ictu uenenato, foras celer-
rime trahere oportet.

Tumorum qui non maligni sunt, curatio. Caput. LXVII.

NON sechis etiã nō maligni humores unctionem aliquan-
do postulant. Vbi enim non maturefcunt, siue id acci-
dat ob materie copiam, siue ob effectam iam aegri etatem, in
qua sanguinis sit inopia; aut si aliqua de causa coctionem ac-
celerare opus sit; Albucasis in tumoris circuitu tenuioribus
multis cauteribus punctim urit. Sic celerius coctionē affore
pollicitus. Proponit etiã aliã unctionē tumoris in medio, sic ut
aperta cute foras pus exeat. In hac curatione, licet aperto tu-
more, caloris alieni, qui coctionem solet adiuuare, exhalatio
aliqua fiat; arbitrandum tamen est, in situ partis calorē, onere
multo leuatū, quod reliquū est, ferre facilius, & concoquere.

Clauorum & verrucarum curatio. Caput. LXVIII.

TVMORVM species sunt & clauī, & uerrucæ. qua-
rum curationem Paulus unctione quoque factam scri-
bit. clauos enim, callosas scilicet eminentias, in pedibus
maxime molestas, quosdam ait circumcirca scarificatas,
comprehensas uolsella, uel scalpello acuto radicitus exe-
misse. alios, ne rursus nascantur, uisisse candentibus ferra-
mentis. Se etiam addit nouisse, qui & has, & relatas om-
nes eminentias (sunt autem eæ uerrucæ & acrochordones)
plerumque frigido cautere consumerent. Sic ille. cauteris
frigidi nomine intelligens (quod & supra adnotauimus)
calidum quidem, sed non prorsus candens ferramentum.
Subdit etiam, in formicaria uerruca, quosdam (inter quos
est Galeñus) durę pennæ fistula, quales sunt ueterum gallo-
rum, & anserum, ac aquilarum circum scarificandum esso
censuisse, ita ut obtorqueatur per uim in profundum, & ex
fundo uerruca tollatur. alios uero ænea, aut ferrea fistula
idem fecisse. In hoc affectu duplicem curandi rationem
proponit Albucasis: alteram ferramento, alteram medicamē-
to. Quæ ferramento, non illi valde est dissimilis, quam proxi-
me diximus, ferramento enim fit fistuloso quod clauī basim

ample.

370 De Igneis medicinae praesidijs.

amplectatur. sit autem subtilis aciei, quod etiam secer. id est
go candens clauo admoendum est, manum reuoluendo, at-
que (ut in Paulo est) retorquendo, quò eius basim pertingat,
Facta exustione expectat triduum, vt emittere pus incipiat. tū
syluestres maluas cum sale contritas adhibet per noctem. sic
clauum ait radicitus tolli. Curationem prosequitur carnem
generantibus. Alia curandi est ratio per medicamentum. Si
clauus sint non conuersi (ait Albucasis) id est, (ut intelligo) si ex
ara cutem sint elati, ut in superficie corporis, praecipue in ma-
nibus, & superiori pedum parte (quales esse non possunt sub
pedibus) tunc vrendum ait aqua calida. Hæc uero illa est, quæ
in curatione Ischiadis docuit. Paratam igitur esse oportet fi-
stulam ferream, vel ex duriori penna, quæ clauum exacte
amplectatur. in hanc fundendum proposita aquæ aliquid
est; fistula diligenter super clauum retenta, & comprimendo
reuoluta, vt basim clauus aqua pertingat. sustineat æger per
horam, aquæ morsum. quum enim auferetur fistula, clauus
radicitus eximitur. sic, si plures sint clauus, in singulis agendū.
Curatio dehinc carnem gignentibus perficienda.

Ulcerum curatio. Caput. LXIX.

EST vltio non raro utilis in solutione quoque continui
curatu difficilior; & in carnosarum partium ulceribus, &
in ossium corruptione. In ulceribus quidem, si maligna sint,
si cum insigni ulceratæ partis corruptione, qualis est in ijs
quæ gangrænas sequuntur: si depascentia, quæ esthiomena
vocat: si uenenatam qualitatem coniunctâ habeant, ex telo,
ex rabido cane, morsu uiperæ, causæque alia quacunque. imo
etiam, si sint cum contusione. Et de ulceribus quidem ex gan-
græna, iam antea dictum est, ubi de tumoribus: De depascenti-
tibus, qualia sunt cancerosa & phagedonica, ubi de mammis.
De venenatis actum est ubi de abdita intemperie. De ulcere
cum carniū contusione, reuocandus in memoriam est lo-
cus Hippocratis libro de articulis, qui contusis carnibus mu-
cum aliquando glutinosum succedere admonet; qui medi-
camentis curari non potest, candente autem ferro curatur.

Pterygij curatio. Cap. LXX.

INTER depascentia vlcera reponitur a Paulo pterygiū
circa vngues, incrementum scilicet carnis, partem vnguis
operiens.

operiens: quod, si negligatur, inflammatio sequitur, & pus, quod radicem vnguis erodit, atque ipsum vnguem, imo & subiectum os corrumpit. quum hoc malum sit ex depascen-
tium vlcere genere, licet alibi id ipsum vitium alijs quo-
que modis curari possit: in digitis tamen fisti non posse hic
auctor affirmat, nisi vel cauterijs, vel medicamentis crustam
inducentibus id quod supereminet, absumatur.

Offis abscessus curatio. Caput. LXXI.

VLCE RIBVS prauis & diuturnis succedere saepe
solet, vt osillis proximum vitietur, ita, vt, primo fere
pingue, deinde vel nigrum, vel cariosum fiat. quomodocun-
que vitiatum sit, exciso vlcere vt sanum os undique pateat, iū
id, quod aliquo modo vitiatum est, semel iterumue eradē-
dum est, donec sanguinis aliquid ostendatur: aut admoto fer-
ramento adurendum, vt sanetur. ita autem adurendum, vt
si altius caries descendat terebra, ad uitij altitudinem crebra
fiant foramina, in quę candentia ferramenta demittantur, do-
nec siccum os ex toto fiat.

Sanguinis effusionis curatio. Caput. LXXII.

AD solutionem continui pertinet venarum arteriarū-
que diuisio, ex qua immoderata aliquando est sangui-
nis effusio. Quam qui curare velit, quum obturare os vasis
necesse sit, inter alia obturantia præsidia crusta est; quę indu-
citur nunc igne, nunc medicamentis, quibus ignea uis inest.
Et si autem in medicamentorum exurentium genere ualida
sunt quę crustas inducunt, nisi ijs tamen præter calorem
astrigendi quoque vis insit, non sunt ex vsu. crustas enim per-
stare oportet, quoad sub ipsis caro succrescat; & velut oper-
culum vasis fiat. quę autem a medicamentis fiunt expertibus
astrictionis, cito decidunt, parte relicta aperta magis quam
antea. quare succedit frequenter noua sanguinis eruptio quę
fisti non potest. ab vstione enim aliquid semper de parte vsta
detrahi necesse est. Non sunt igitur ex vsu, calx uiua aut auri
pigmentum, licet exurētia, & crustas inducere consueta: sunt
utilia mysi, chalcitis, calcanthum. quanquam neque his, ne-
que ignitis ferramentis nisi maxima urgente necessitate u-
tendum est. Quę tunc est, quum vel ex putredinosa erosio-
ne sanguinis eruptio est. (in his enim, vbi quicquid putre est,
resectum

152 De Ignis medicinae praesidijs.

refectum facit, tutius est aut ferramentum ipsam veluti radice
 em utere; aut inducentibus crustam medicamentis uti; hoc
 autem maxime in pudendis, & fede:) vel quum extremarum
 corporis partium aliqua quae putruerit, abscinditur: tunc enim
 ut Leonides apud Paulum, refecto eo, quod oportet, ad sedam
 sanguinis eruptionem cadentes igne cauteris vasibus adhi-
 bendi sunt. Et haec fere ex Aetio & Paulo. Sane autem aduer-
 sus profusionem sanguinis in vulneribus Celsus quoque; vltio-
 nem probat candente ferro. Proponit etiam Albucasis, non ab-
 solute tamen sed in ea quae ex arteriae divisione. Et quidem, quae
 sectione venae sequitur, praesidijs quoque; alijs facilius curatur,
 si non admodum magna sit vena. si magna autem vena eadem quae
 in arteria necessaria sunt. Secta igitur arteria, ante omnia sta-
 tim ut digitum illic admoueas, iubet. interea autem *candefa-
 ctis oliuaribus cauteribus aliquot magnis paruisse pro vulne-
 ris magnitudine, sublato digito nulla prorsus interposita mo-
 ra, adurendum. quod si ab effluente sanguine ferramenti igniti-
 uis extinguatur, aliud statim admouendum; atque, si sit opus
 aliud, donec sanguinis effluxus cohibeatur. Consulto autem do-
 nec fluxus sanguinis sistatur, non autem, donec inducta sit
 crusta; quod in arteria duriores crustae induci solent, quae et-
 iam facile abscedunt. sat est sanguinem cohiberi. id quod,
 si non nisi inducta crusta fieri possit, toties urendum; ut in-
 ducatur. at si ea etiam non inducta, perfici opus contingat,
 nihil est, ut studiosius eam quaeras. Vnum admonet, quod
 perpetuum quidem est in uestione omni, neruum ut caueas;
 sed hoc loco apposite in mentem reuocat, quia arteria com-
 mes semper est neruus. Quid uero si arteria sine contactu ner-
 ui uri non potest? Est profecto, ut alia ratione sanguinis
 compressionem tentes, arteria, aut tranuersim secta, aut de-
 ligata, aut admotis agglutinantibus medicamentis, cum puluillo
 ut fieri solet. id quod non est huius loci ut fusius prosequamur.
 illud enim semper, quod diuinus senex admonet, haerere animo
 debet medico, sic iuuet, ut non noceat. Et haec tandem de veterum
 in igneorum praesidiis usu diligentia. Quorum uestigia qui se
 qui norit, illum quidem plurimum in arte profecisse fatendum est.*



F I N I S.